RADFORD LIBRARY,

23,549/A J. x. m.

Saint Mary's Hospital, Manchester.

D 160

No. 160 ~~13~~ D ~~Sec 18~~

This Book to be returned in ________ *days.*

Fine for overtime ______ *per day.*

Note.—No book can be renewed if wanted by another reader, nor unless brought to the Library for that purpose.

It is requested that the leaves of books may not be turned down,—that no person will write in them,—and that the greatest possible care may be taken of them.

EXTRACTS FROM THE RULES.

That each Medical Officer shall be allowed not more than two works out of the Library at one time, and not more than two volumes of each work.

That Registered Medical Students shall be allowed to take out books every Tuesday and Saturday, from eleven till one, or at such hours as may be ordered from time to time by the Board.

That each Registered Medical Student shall be allowed to have not more than one book out of the Library at the same time, unless the work consist of two or more volumes, and in no case more than two volumes.

EMMENOLOGIA
IN QUA
FLUXUS MULIEBRIS
MENSTRUI
PHOENOMENA, PERIODI, VITIA,

Cum medendi Methodo, ad Rationes Phyſico-medicas exiguntur:

Acceſſit in fine Caput peculiare de Fluxu Mulìebri albo.

AUTHORE

D. PETRO FRESART Leodienſi Doctore Medico.

D.500

ST. MARY'S HOSPITAL
BRADFORD LIBRARY
MANCHESTER.

LEODII,
Apud Guilielmum Henricum Streel,
Suæ Sereniſſimæ Celſitudinis Typogr.

M.D.CC. VII.

23,549/A

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PER-ILLUSTRI, AC GENEROSO

DOMINO,

PETRO ALOYSIO

BARONI DE SLUSE,

De Hoepertinghem, & Sacri

Romani Imperii

TOPARCHÆ

BIHAIN, GOTHEM, BEURS, &c.

ſtriſſimi Ordinis S. Stephani ſub auſpiciis
reniſſimi Magni Ducis Etruriæ Militantis

EQUITI,

Sereniſſimo Principi Electori Colonienſi,
ISCOPO AC PRINCIPI LEODIENSI
à Conſiliis Status & Privatis, &c.

BINA *in hoc Opuſculo*, PER-ILLUSTRIS & GENEROSE DOMINE, *revelantur occulta*

LIBRARY MANCHESTER
D 4500

naturæ myſteria, unum de Menſtru Mulierum Vectigali, in cujus notion non minùs Medici quàm in eruend reciproci Oceani fluxus ratione Philoſop hactenùs cæcutierunt: Super illius Sy ſtema, ex causâ merè naturali, omnin plauſibili & intellectu facili deductum omni ſtudio conatus fui univerſa ſtatûs non naturalis, ſeu morborum abindè oriundorum, eſſentiam, cau ſas, differentias, ſigna, & thera peuſim, ſed in ſpecie ſingulorum, & juxta multifaria propriam, ſuccin ctè perſpicuâ methodo explicare. Al terum de Fluore Muliebri Albo cujus cauſa hactenùs minùs rectè à dilucidè pertractata fuit, cujus proinde curatio parùm dogmatica ac rationali hactenùs exſtitit.

Hæc omnia, utcumque continuo ra tionum & experimentorum, ordin

ſtructa & ſuffulta, eruditiſſimo-m in hoc genere virorum judicio lubens ſmitto: accurato ac diligenti examine ſto, futurum ſpero ut hunc Medi-m Partum, ita clarè, diſtinctè, ac ucidè rationalem, candidus & æquus rum æſtimator perſpecturus ſit, ut ſi aſſenſum ſuum denegare non poſ-t, abſque internâ moleſtiâ & ſecre- rationis ſuæ, velut quâdam relu-antiâ & caſtigatione: quod ſi fal-tatis labe conſpurcatum dijudicet; iam atque etiam rogo, eandem ovinciam ſuſcipere dignetur, & liud quidquam majori veriſimilitudine fundamento innixum proferat. Ip-us molimini adeò non ſuccenſebo, ut uid potiùs mihi pergratum præſtiturus t, neminemque priùs ac poſteriùs abebit, aut hæc mea damnantem, aut lis applaudentem, mihi enim prout uique amica Veritas.

Verumtamen ingenua juſtaque om-
nium propè Scriptorum obſervatio fui
ut præcipuæ authoritatis ac major
nominis Viris , ſtudiorum ſuorum
fructus conſecrarent , quo erga illi
grati animi debitæque obſervanti
monumentum ponerent , & ſplen-
didiore titulo labores ſuos , poſterita-
tis memoriæ tutiùs commendarent
Præter illas , PER-ILLUSTRI
AC GENEROSE DOMINE
multæ adhuc aliæ rationes exigunt , u
hanc primitiam Lucubrationum mea-
rum ſobolem , Clariſsimo Nomini Tu
devoveam ac conſecrem : Expoſtula
hoc medica utilitas , cujus vindicem
ac patronum in ſtabiliendo ac firman-
do labaſcenti Collegio Medicorum Leo-
dienſi , acerrimum Te præſtitiſti : ex-
poſtulat litterarum decus , quæ maxi-
mo à Te ſplendore donantur ; expo-
ſtulat invicta officii mei neceſsitas pr

*ummâ tuâ in me benignitate ac be-
evolentiâ, ut, quod non poſſum
eneficii ullius dignitate, beneficii ſal-
em publicatione compenſem, & pu-
licum omnibus patefaciam memoris
nimi teſtimonium: expoſtulat deni-
ue anxia pro ſorte primitii fœtus
ollicitudo: quia enim non minor eſt
n ſcientiis, quàm in Imperiis dominan-
li cupiditas, & ambitus; vereor
lurimùm, ne adverſùm me, tan-
uàm in rebellem ſectarum conſur-
at invidia & calumnia, niſi Me-
licum meum Fœtum ſub Patrocinii
ui umbone, clementer ſuſcipias, fo-
veasque: Quemadmodum enim fœ-
tus humanus, utero fœcundo con-
ceptus, & debito tempore geſtatus,
ubi in lucem prodit, niſi benignâ ex-
cipientis manu tractetur, & fovea-
tur, mortem ocyùs oppetere pericli-
tatur; ita etiam hic meus Medicus*

partus, laborioſo animi conceptu genitus & formatus, in lucem prodiens, patrocinium deſiderat, ut aliquam ætatem ferre poſſit. Si Collegii Medici Leodienſis ſtrenuum ac generoſum Te Protectorem donare non renuiſti, quidni & ego ſperem. Solitâ Dominationis tuæ benignitate fretus, futurum ut primitiam ingenii mei ſobolem, ſub umbrâ Illuſtriſſimi Nominis tui in lucem emitti, vivere & gloriari patiaris? ex hoc non modò aſylus contra lividos & calumniatores, ſed quoque commendatio apud eruditos mihi affulgebit. Sluſianum *enim Nomen, quâcumq; circumſpiciatur, per-illuſtre eſt, & omnibus ſcientiarum peritioribus reverendum.*

Si Antiquam Sluſiorum Stirpem *penitiùs introſpiciamus, eam comperir*

ſt nobilitate, dignitate, factis, & egregiis in rem publicam meritis, æternâ in poſteritatis memoriâ commendatiſsimam. Si præſentem attendamus, animo ac oculis confeſtim inſignis, ſe offert Frater tuus, natu major, RENATUS FRANCISCUS, *qui, dum vixit Canonicus in Cathedrali noſtrâ, & Abbas Ammanienſis, præ exquiſitiſſimâ & rariſſimâ, in omnibus pené ſcientiis & diſciplinis eruditione, prout Scripta teſtantur, ſummam Virorum ſui Sæculi doctiorum admirationem arripuit, & poſterorum in æternum arripiet; adeò ut ex eruditionis ſublimitate, nobiliſſimum Patriæ Ornamentum, Generiſque ſui indelebile Decus, ſeſe præbuerit.*

Animo ac oculis occurrit alter, JOANNES GUALTERUS, *qui*

poſtquàm à Sanct. Memor. Clemente IX. Secretarius Brevium, Antiſtes Domeſticus, & utriuſque Signaturæ Referendarius, creatus fuiſſet, & Clementis X. Conſiliis ſecretioribus adſtitiſſet; demùm ab Innocentio XI. haud aliâ commendatione, quàm acutâ ingenii fœcunditate, ingenti in Sacris peritiâ, ſtupendis animi, morumq́ue dotibus, propriis denique ſolis exigentibus meritis, ad Purpureos Eminentiſſimæ Dignitatis Apices, ſummâ Romæ *lætitiâ ac acclamatione, ſummâ etiam totius Europæ approbatione, evectus fuit: ſed, quod ſtupendum! adeò non honorum faſtigium,* Eminentiſſimus Cardinalis Frater, *cum ullo ſupercilio, ullâve oſtentatione ſuſtinuit, ut potiùs incomparabili modeſtiâ, probitate, integritate, in Patrios dilectione, & in oppreſſos*

charitate ; quas dotes à Parentibus hæreditarias hauſerat , ad vitæ uſque terminum claruerit : è quâ non ſine magno Eccleſiæ Romanæ deſiderio ac Patriæ luctu diſceſſit , relictâ piæ memoriæ immortalitate. Multa Eminentiſſimi Cardinalis Fratris , *paucis complector , plurima ſilere cogor : cùm ſermonis mei exilitati haud competat , quod vel Tullianæ eloquentiæ ubertas, perſolvendo impar eſt.*

Si mentem in Dominationem Veſtram converterimus , tantus invenitur concentus omnium animi dotium ac virtutum , ut meritorum Fraternorum ſimilitudo totalis perſpiciatur : Nam eruditione , relligione , juſtitiâ, vigore animi , magnitudine cogitationum , celeritate conſiliorum, & expediundorum , quantumlibet arduorum

negotiorum dexteritate, communem mortalium ſortem longè à Te ſuperari, vel ipſa invidia fateatur neceſſum eſt. Undè non mirùm, ſi prout Eminentiſſimus Cardinalis Frater, *ſub tribus ſummis Pontificibus, annuente & affluente Superûm gratiâ, Miniſter & Antiſtes indefeſſus exiſtit, ſic & Tu quoque Legiæ Romanæ Eccleſiæ Filiæ, totique Patriæ,* SLUSIUS *alter, quem judicio ſapientiſſimo tres jam Principes Leodienſium, æquiſſimi peritiæ tuæ quaſi infuſæ, & virtutis æſtimatores, Te Sanctioris Conſilii Senatorem, & in gubernando Reipublicæ clavo Adjutorem voluerunt.*

In tuas laudes, MAGNANIME AC PER-ILLUSTRIS DOMINE, *innumeras longiùs*

excurrerem, niſi me deterreret rei amplitudo, & inſufficiens facundia, niſi inſimul innata morum tuorum puritas ac modeſtia, quâ cæteræ virtutes, gratiores multò redduntur, ſilentium mihi imperaret.

Unum eſt quod ſilentio involvi ſine culpâ nequit, ſiquidem Clariſſimo Nomini tuo maximum ſupra cætera ſplendorem adjiciat, ſummus tuus videlicet in litteras, Litteratoſque favor; nihil ex ea laude competit officii neceſſitudini, nihil tribuitur tuitioni acquiſitæ æſtimationis & authoritatis, nihil debetur ipſi fortunæ rerum Dominæ: purus eſt amor Scientiarum, pura in earumdem Amatores innata benevola propenſio, ut hinc Viris eruditis, qui fines ſcientiarum propagare indefeſſè ſatagunt, minùs debeat Reſpublica, quàm magno Mæcenati, qui ſuo patrocinio ipſis ſcriben-

di otium præbet & ſecuritatem. Eximium hunc favorem maximoperè experitur Medicina Leodienſis, quam in chaos profundum corruentem, ſolitâ benignitate erigere, & firmo Patrocinii tui munimine fulciri non dedignatus es: Sed ego præprimis experior, beneficiis tuis impensè devinctus, quibus gratiam parem referre non valens, ad vota confugio, Deum Opt. Max. ſupplex deprecatus, ut præſtet Tibi annos Neſtoreos, ſalvos & incolumes, feliceſque ſuper vota noſtra dies, in hac vitâ, ut rem, Patriam, publicam & litterariam diu tuearis: in alterâ verò vitâ (ſed non niſi jubente irrevocabili fato) ſempiternùm beatos conſtituat: præſtet idem Altiſſimus ut Nati natorum, & qui naſcentur ab illis, Sluſianam, *tot annorum longitudine, partam & vigentem gloriam, nedum con-*

ſervent, ſed quoque augeant. Sic vovet, ſic exoptat, ſeſéque & ſua omnia conſecrat, atque commendat,

PER-ILLUSTRIS AC GENEROSÆ DOMINATIONIS VESTRÆ,

ST MARY'S HOSPITAL
RADFORD LIBRARY
MANCHESTER

Clientum prout Medicorum obſtrictiſſimus,
& Servorum Humillimus,

P. FRESART.

PROŒMIUM.

EA eſt ſexûs muliebris conditio, ut non eos tantùm morbos quos viri ſæpè & ipſæ fœmellæ patiuntur, ſed & multò plures & particulares, ſexuíque noſtro maſculino, planè ignotos, perferre cogantur. Particulares illos morbos potiori ex parte à fluxu ſanguineo, cui fœminæ ſingulis præter propter menſibus, toto eo tempore, quo generationi comparatæ ſunt, nec utero gerunt, lactantve, ſolemniter dependere, nulli non innoteſcit Medico: & hinc mos venit ut Medicus ut-primùm ad ſexum ſequiorem valetudinarium accerſatur, inquirere debeat in varias fluxûs illius circumſtantias.

Morborum omnium fœminis particularium hiſtoriam impræſentiarum pertractare

non eſt mihi conſilium: quin tantummodò in varias fluxus menſtrui anomalias ac læſiones inquirere decretum eſt: aſt, quò illa velut è fundamentis eruantur, & penitiùs intelligantur; operæ pretium duxi, ut priùs cognoſcamus fluxus menſtrui negotium in naturali habitudine, quàm ad illius pernaturalem ſtatum tranſcendamus, ſiquidem quicquid læſionis in morbis à menſtruatione pendentibus, conjecturi ſimus provenire debeat à comparatione illius naturaliter ſe habentis, cum illo naturali ſtatu non convenientibus: rectum enim norma eſt obliqui & à manifeſtis ad obſcuriorum notitiam liber ac tutus eſt tranſitus, ideóq; ut hæc noſtra Diſſertatiuncula, in varias fluxus menſtrui anomalias & læſiones ex ordine ac minùs dubiè inſtituitur; ante omnia ſedulâ diſquiſitione perſcrutari intereſſe dijudicavi, quid illud ſit nempè menſtruum mulierum tributum, quis generationis modus, quâ ratione ac modo excitetur, quo tempore incipiat & deſinat, quamdiu duret, quæ illius menſura, quæ quantitas, quæ qualitas, quæ futuri indicia, & hæc omnia in naturali habitudine. Hâc methodo, argumenta non dubia, non fallacia, ſed certa, tuta ac demonſtrativa elicere facile erit, à quibus diverſæ fluxus menſtrui læſiones, (Deo Omnipotente) tandem aliquando in ſuam lucem adducentur.

xordium itaque ſumitur à fluxu menſtruali
ıjus argumentũ perarduum non cenſeri non
ebet; cùm non minũs in hæc uſque tempo-
ı univerſos Medicos quàm reciprocus ocea-
ı fluxus cunctorum ſæculorum Philoſophos
boriosè exercuerit. Faxit Deus in illius in-
ıiſitione felicior ſim anteceſſoribus? qui ſi-
ıt diverſas ac multifarias circa rem illam ex-
ɔſuêre ſententias, adeóque parùm inter ſe
ɔnvenerunt; ita etiam pari ſucceſſu ſuis
ıctenùs non caruerunt tum defenſoribus ac
ıtronis, tum contradictoribus: in hoc ta-
en pertractando, ego impræſentiarum adeò
rolixum me præbere haud ſtatui, ut cu-
ſque opinionem ex profeſſo recenſeam op-
ıgnémque; inde enim nauſea ac tædium
ectori moveretur: quin potiùs ſuper hoc
gumentum ex ſe utut perarduum, ſalvo
ıjuſque meliori judicio liceat liberâ mente
ɔſtros exponere conceptus, eos firmis quan-
m in nobis erit fulciendo rationum mo-
entis. Sit igitur

LIBRARY
MANCHESTER

CAPUT PRIMUM.

De Cauſis Fluxûs Menſtrui Mulierum & Circumſtantiis.

FLuxus mulierum menſtrui variæ ſunt denominationes, dicitur enim modò menſtrua, menſtruum mulierum tributum, menſtrua purgatio, flores mulierum, & modò catamœnia. Quoquo autem nomine fluxus ille inſigniatur; per eum intelligitur excretio ſanguinis qui per pudenda muliebria ſingulis præterpropter menſibus erumpere ſolet. Cur verò fœmina huic periodicæ effuſioni ſubjiciatur, alia ratio eſt extra graviditatis & lactationis tempus, alia intra idem, prima ſeu intra graviditatis & lactationis tempus, ut per certa temporis intervalla uberior collectus intra vaſa ſanguis, certis pariter intervallis, ad quantitatem naturalem & ſanitatis latitudinem debitam redigatur. Et verò cùm fœmina fœtui concipiendo, geſtandóque deſtinata ſit; proinque non ſibi ſoli & individuo, ſed proli ac ſpeciei propagandæ etiam nata: Hinc plus humiditatis nutritiæ, exindéque ſoboleſcentis ſanguinis conficiatur atque congeratur in ejus vaſis oportuit, quàm conſervationi individuali impendatur ac impen-

li queat, alioquin ſemel imprægnata fœmina tantùm emarcianda foret, ac debilitanda, quantum proprii ſucci nutritii in fœtus nutrimentum conſumeretur: quare, nè ſuccus ille quem in aliena commoda extra geſtationis ac lactationis negotium cumulat, in ſanguinem converſus, copiâ ac mole noceat; repleta ſtatis circuitibus vaſa, ſtatis pariter circuitibus depleri neceſſum fuit, ideſt maſſæ tantum ſanguinariæ eliminari, quantum pro tollenda plenitudine mitigandis proinde ſimptomatis abhinc oriundis abſque virium deperditione ſufficiat.

Hæc menſtrua ſanguinis collectio, meris plenitudinis notis, indigitatur; tenſione nimirùm vaſorum cutaneorum, gravitate corporis, difficili anhelitu, &c. quæ in fœmineo ſexu approximante menſtruorum tempore comperiuntur. Verum enim verò vaſa ſuperficiaria corporis ſub menſtruæ periodi terminum, magis quàm ſub ejuſdē initium diſtendi non poſſunt, niſi quia ſanguis contentus plus uno tempore rareſcit vel redundat quàm alio, atqui dici nequit vaſa ideò magis diſtenta evadere, menſtruæ periodi decurſu quàm ſub ejuſdem initium, quia ſanguis plus ęquo rareſcit, ſiquidem nullo adhuc dato menſtruæ fermentationis indicio, vaſa cutanea plus ſolitò diſtendantur: ſequitur eam vaſorum cutaneorum diſtentionem quæ ſub menſtruæ periodi

finem contigit, referendam in redundantiam ſanguinis: quoniam verò non poteſt redundare ſanguis in vaſis externis, quin protinùs in internis quoque ſuperabundet: (lege enim circulationis ſanguis æqualiter in totum corpus diſtribuitur) ergo diſtentio & dilatatio vaſorum cutaneorum, ſub menſtruæ periodi finem, certò ſanguinem in toto corpore redundare ſignificat.

Gravítas partium ac pondus ſolitò majus pendet nonniſi ab incremento majori eorumdem, pleniorem nutritionem annuente, vel ab interius contentis fluidis. At quia fluxis menſtruis, eundem corporis habitum ſexus ſequior, cum gravitatis levamine obtineat, quo ſub periodi menſtruæ initium fruebatur; & res ſecus ſe haberet ſi gravitas per vices menſtruas recurrens penderet à pleniori partium nutritione. Satis liquet gravitatem partium in fœminis per intervalla recurrentem, in nimiam vaſorum plenitudinem eſſe refundendam.

Difficultas reſpirandi quâ fœminæ, ſub menſtruatione laborare ſolent, arguit vel motum difficilem muſculorum reſpirationis, vel difficilem aëris intra pectus ingreſſum ex obſtructione laryngis vel ductuum pulmonarium, vel ex compreſſione veſicularum pulmonarium: ſed non poteſt repeti ex difficili muſculorum reſpirationis motu, ut potè qui

cum naturali violentiâ moveantur, & compages thoracis de more elevetur, nec ab obſtructione laryngis vel ductuum pulmonariũ; cùm nulla illius ſigna ſe manifeſtent: hæc etiam fluxis menſibus perſtaret. Difficultas ergo reſpirandi mulierum ſub menſtruatione petenda eſt ex compreſſione veſicularum pulmonarium; hæc autem compreſſio pendet vel ab exterius incumbente corpore, toti pulmonum ſuperficiei circumfuſo, ſero, puta, ſanguine vel pure, in pectoris cavitatem jacente, vel ab interius agente, tumoribus, puta, in ſubſtantiâ pulmonum enatis, vel à diſtenſione vaſorum, ab influente ſanguine; atqui ſub menſtruatione, ſi effuſum foret intra pectoris cavitatem quoddam fluidum, vel tumores in pulmonum ſubſtantiâ collocarentur; eâdem peractâ, ſubſiſteret compreſſio, proindéque difficultas reſpirandi. Inferendum, ſiquidem, exactâ menſtruatione, ceſſat difficultas reſpirandi & ita compreſſio; eam referendam in diſtentionem vaſorum ab influente ſanguine, & quia diſtendi prætermodùm non poſſunt vaſa pulmonum niſi vel ſtagnatione & morâ ſanguinis, vel nimiâ ejuſdem rareſcentiâ vel copiâ ac redundantiâ. Adſit verò difficultas reſpirandi, antequam menſtrua efferveſcentia oriatur, & deſit ſtagnantis ſanguinis nota, ſequitur diſtentionem vaſorum pulmonarium, cujus ratione anguſtia

veſiculis aërem excipientibus, infertur; refellendam in redundantem in pulmonibus ſanguinem: quare, quoniam non poteſt redundare ſanguis in vaſis pulmonum, quin & lege circulationis, protinùs redundet in reliquis totius corporis; patet, ex difficili reſpiratione, quæ ſub periodi menſtruæ finem ſe prodit, argui nimiam vaſorum plenitudinem ſeu plethoram. Inſuper mulieres (non ſit hîc ſermo de agreſtibus, aut aliis valida corporis motione ſe exercentibus quæ vix aut nunquam menſtruantur, quia materiam menſtruorum, tranſpirationis aut urinæ copioſioris formâ, ſufflaminant; nec de convaleſcentibus, in quibus, ſervatâ, morbi ſpatio, ſtrictiori diætâ, ſanguis potiùs deficit, quàm exuberat; nec de obæſis, in quibus abeunda in menſtruationem portio, in pinguedinem tranſit) mulieres, inquam, interruptâ menſtruâ purgatione, malè ſe habere ſolent, quæ ſanguinis dehinc per venam tuſam miſſione, vel obortâ per uterum aut alicubi hęmorrhagiâ pletoræ reſpondente, ſymptomatum ſuppreſſæ illi evacuationi ſuccedentium, ſedationem experiuntur, abſque eo quod virium quicquam per ejuſmodi evacuationem ipſis detrahatur, quin imò exin accreta plenitudo ad mediocritatem redit, dolores ac tenſiones placantur, facilior redditur reſpiratio, corpus gravi onere levatum erigitur, & quaſi

recreatum alacriùs expeditiùsque fit ad functiones omnis generis obeundas. Inter plures obſervationes quæ productionem & congeſtionem ſanguinis uberioris in vaſis fœminarum manifeſtant, ab Authoribus relatas, tres ſeligere ac referre allubeſcit admiratione plenas: Primam Panar. qui Pent. 2. obſ. 41. exhibet mulierem quæ quolibet menſe, in maximâ copiâ bis menſtrua deponebat cum ſanitatis commodo. Alteram, Illuſt. Dolæi qui Encyclop. Med. cap. de Hæmorroid. refert ſe obſervâſſe in Principiſſâ Naſſovicâ quâdam juniore, fluxum menſtruum novilunio fluentem, unà cum fluxu Hæmorrhoidum, plenilunio fluente. Tertiam, & magis ſtupendam Clar. Loweri, qui in Mæaram cap. 2. meminit puellæ, cui per ſexennium, ſanguis quotidie ad 5. vel 6. uncias, & non raro ad libræ pondus erumpere ſolebat, modò ex naribus, modò ex auribus, modò ex hoc aut illo oculi alterutrius cantho, interdum ex pulmonibus, nam quolibet die ac nocte, ex uno aut pluribus horum locis erumpebat, & inſuper menſtrua ſtatis periodis ordinariè profluebant.

Altera ratio, ſeu intra gravidationem & lactationem jam dabitur: quoad primum, ut materia ſanguinis menſtrui, ſeu chylus conſervationi individuali ſuperfluus alimoniæ fœtus geſtati impendatur, & hinc eſt quod

ſuperveniente impregnatione fœmina fluxum catamœniorum experiri ceſſet, ut ſi ſuperflua individua humiditas nutritia in creſcendo & alendo fœtui, quia adhuc minimus eſt aut debilior, tota non impendatur, ſicuti non rarò accidit, primis potiſſimùm geſtationis menſibus: hinc ſuperflua chyli portio tum individuo tum fœtui geſtato, in ſanguinem tranſmutatur, & advenit phletora, rariùs per illam uteri partem quæ à placentæ amplexu libera eſt, ſeſe exonerans, ſed ſæpiùs per miſſionem ſanguinis in vaſis ſuperioribus, ſublevanda. Huic cauſæ finali nova adhuc dum accedit, ut ſcilicet adſit in vaſis ſanguis ſufficiens, ad incrementum uteri in imprægnatione juxta ejus ſubſtantiam; cùm enim uterus, quô magis ab augeſcente fœtu dilatatur & expanditur, in dies craſſior & robuſtior evadat; ut qui extra imprægnationem, rariſſimè unciarum duarum tunc intra eandem poſtremis menſibus, libræ unius aut alterius, pondus Autopſiæ teſtimonio, multùm excedat, duorúmque penè digitorũ craſſitiem æquet: & tamen certiſſimum ſit, tantam uteri molem intra duas vel tres à partu hebdomadas, per celebrem lochiorum purgationem, ad priſtinam magnitudinem ac ſtatum reduci: liquidò ſequitur, ſanguinem extra gravidationis negotium, per juſta temporis intervalla non accumulandum fuiſſe niſi quoque ut tempore imprægnationis

aliqualis ejus portio, incremento uteri inſerviret, poſt partum lochiorum nomine diffluenda.

Quoad ſecundum, ſcilicet intra lactationis tempus, ut ea chyli portiuncula, quæ poſt idem tempus in ſanguinem periodicè effluendum convertitur nutricatui excluſi utero fœtus impendatur.

Copioſior illa ſanguinis quantitas, quæ in fœminis viro maturis & generationi aptis, periodicè evacuanda advenit; copioſioris chyli eſt argumentum. Unde ſiquidem recrementa generantur ex chyli & ſanguinis relliquiis à fermentatione reſiduis, reſpondeantque quantitati eorum à quibus ſoboleſcunt; ſequitur, ſi chylus proinque ſanguis, in fœminis copioſior generatur, illud refundendum in eo quod fermentum ſtomachale ſeu digeſtivum, prout cætera quævis recrementa, copioſiùs generetur & ventriculo ſuppeditetur. Evoluta ſic catamœniorum cauſa finali & origine, effluentium efficiens cum modo operandi jam inveſtiganda venit, quæ ut feliciori augurio adinveniatur, prius videndum, quis ſanguinis ſtatus, eorum fluxum præcedat? & novi ſtatus cauſa inquirenda eſt?

Hunc ſanguinis ſtatum eſſe ſupra naturam, fermentabiliorem manifeſtè ſignificatur, ex calore partium naturali nonnihil majori, aliquantâ ſiti quæ priùs non erat, ex pulſu non-

nihil febrili, ut ex his & aliis ſimptomatis inſtante menſium periodo, quid febrile fœminis intervenire internoſcatur. Menſtrua hæc ſanguinis ejuſque humorum turgeſcentia ad meræ febris gradum, quandóque tranſcendit, teſtimonio Lindani, qui obſervavit in muliere febrem menſtruam, hoc eſt quæ toties per aliquos dies febricitabat, quoties menſtruum pateretur fluxum, idqúe per turgeſcentiam ſanguinis tunc temporis excitatam.

Cognito ſanguinis ſtatu in inſtantia menſtruorum, eſſe ſcilicet naturali magis fermentativum, jam inquirendum eſt quæ ſit cauſa eam alterationem intra ſanguinem certis temporum intervallis inducens, cùm enim inviolata naturæ lex eſt ut quæcumque aſſumptum ſervent ſtatum, niſi ſuperveniente novâ causâ eum mutare cogantur. Maſſa ergo ſanguinea, inſtante menſtruatione, in fermentationem naturali majorem efferri nequit, niſi quia illi ſupervenit novum quid alterationem inducens. Quid verò illud ſit novum? hoc opus hic labor eſt, nodus ſanè Gordonianus ſolutu uſque adhuc perdifficilis:

Regnerus de Graaf, vir alioquin verſatiſſimus, de Mulier. organ. cap. de menſtruis, caſus illius inſcitum ſe teſtatur, dicendo ſi quis ab ipſo petat, ex qua cauſa fermentatio illa procedat, prout ſubſequens hæmorrhagia? ſe reſponſurum illa ad definitos naturæ motus,

& certas illius leges nobis adhuc incognitas referenda. In hujus cauſæ ſitu adeò utilis eſt & perneceſſariæ diſquiſitione & notione, ſedulos & impigros nos præbere intereſt.

Hæc aucta ſanguinis fermentatio, menſium præcedens ſtudium nonniſi in varium lunæ curſum prout voluit tota antiquitas, vel in fermentum quoddã utero proprium & inſitum, quod hactenùs torpidum ac deliteſcens ſingulis menſibus, ſemel tantùm in actum vindicatur, & ſanguinem ſupraſolitum commovet, cujus opinionis eſt Clariſſ. Bayle & Charleton in pecul. tract. de catam. Sylvius, etiam Delboë, & alii quamplures: vel in quamdam rerum ſex non naturalium referri poteſt. Sed illud in ſempiternos ac immutabiles Lunæ curſus referre non eſt rationi conſonum; quatenùs primò non liquet, cur fœminæ præ reliquis animantibus, lunæ potentiis atque influxibus, magis obnoxiæ ſint? Secundò, quatenùs nullo non menſis tempore, hæc menſtrua ſanguinis efferveſcentia contingere notatur, ſi illa penes eſſet varias lunæ mutationes: omnes fœminæ ſaltem ejuſdem ætatis, ſub uno & eodem habitantes climate, & ejuſdem temperamenti, eodem die & tempore, eam experirentur cum inſequente menſtruorum eruptione: quod nihilominùs experientiæ quotidianæ penitùs adverſatur. Undè falſificatur verſiculus, *Luna vetus vetulas*,

juvenes nova luna repurgat.

Quod ſpectat fermentum utero proprium & implantatum, multi recentiores ut in ventriculo cæteriſque ferè viſceribus, omnibus, ſuum cuique fermentum: ita & utero ſuum ſimiliter ineſſe, conteſtantur. Fermenti uterini ſicut cæterorum fermè omnium materiam geneſim & actionem, in hunc modum ſtatuunt; illud videlicet tanquam in proplaſmatis, ex ſale quodam, cum ſucci alibilis redundantiâ, ad uteri tubulos devoluto, & per ſtagnationem aceſcente, ſingulis menſibus, certâ ac pari quantitate generari ac colligi, & ſemel pariter ſingulis menſibus volatiliſari magis, & ſpontè efferveſcere effluviis irrequietis, hinc emanantibus, totam ſanguinis maſſam imbui & exagitari. Quæ doctrina fermentorum quàm dubio, quàm infirmo innitatur fundamento? facilè intelliget quiſquis perpetuam ſanguinis circuitionem penitiùs introſpexerit: quâ evidenter docemur, ſanguinem continuò per omnes partes corporis moveri, ejuſque humores quaſi clavus clavum, perpetim ſeſe mutuò protrudere, adeò ut ex hinc nulla ſucci illius reſtagnatio ad fermentorum geneſim, collectionem, & exaltationem neceſſaria excogitari poſſit, citra partis reſtagnationis notabilem & præternaturalem læſionem, ut inflãmationem vel alium tumorem, reſervavi

capite de fluore muliebri, ſuppoſititiam illam fermentorum peculiaritatem pluribus impugnare.

In quam rerum ſex non naturalium ſingulas percurrendo, hæc efferveſcentia periodica ſanguinis refundi debeatur, obiter ſcrutemur?

Non in aërem, calidiorem peregrinisve corpuſculis contaminatum ambientem ac inſpiratum, vitioſam cibi potûsve adminiſtrationem, motum corporis vehementiorem, vigilias immodicas, aut gravius animi pathema; quandoquidem independenter ab his, ſanguinis turgeſcentiam, fœminæ propiùs menſtruandæ experiuntur, an verò in excreta aut retenta, cauſa periodicæ ſanguinis efferveſcentiæ referri debeat? inveſtigandum?

Excretorum & retentorum nomine ſignificantur alvi fœces, ſanguis per uterum menſtruatim erumpendus, & varii recrementitii & excrementitii humores.

Aſt ſi quid aluinæ fœces facere poſſint, illud ſanè repetendum ex acribus habitibus, quos copioſiores ſolitò, ſtatis temporibus in ſanguinis vaſa expirando, ejuſdem fermentationem intendant. Sed undè alvinæ fœces magis hoc quàm alio tempore exſpirarent miaſmata fermentativa? non eſt facilè conſequi imò abſurdum videtur, illud in mentem ſibi adducere velle.

An cum Antiquis ſanguis, totâ menſis periodo, circa uterum congeſtus ac putreſcens imputandus? ſed quantum hæc veterum opinio à veritate recedat? Sanguis enim, qui perenni circulationis lege per omnes corporis partes movetur, tanto temporis ſpatio, in uteri vaſis reſtagnare non poſſet citra putredinem ſui & continentis. Præterea Anatomicorum teſtimonio, in mulieribus inſtante menſtruorum effluxu ſubitaneâ aut violentâ morte extinctis, & diſſectis, uterus juxta ſubſtantiæ molem, ſtagnante ſanguine, turgidior non reperitur; quod tamen fieri deberet, ſi prout ſtatuerunt Antiqui, ulla ſanguinis collectio foret circa uterum. Plura ejuſmodi argumenta videri poſſunt apud Regner. de Graaf, & Joan. Bochm. in circulo Anat.

Quod ſanguis in vaſis redundans & circulariter motus, ſpontaneam novam fermentationem concipiat; nullâ rationis probabilitate dici poteſt: cùm ſanguis ex ſe indifferēs ſit ad majorem vel minorem efferveſcentiam, quamdiu nō advenit illi novum quid alterans.

Diximus ſupra ex & recrementa generari ex chyli & ſanguinis relliquiis à fermentatione reſiduis, atque reſpondere quantitati eorum à quibus originantur, ideſt quo copioſior eſt principiorum quantitas quę in ſanguineis vaſis fermentantur, eò majorem exſurgere

ſurgere ex & recrementorum copiam, & inde illatum eſt, chylum adeóque ſanguinem in fluxu muliebri copioſiorem quàm conſervationi individuali neceſſarium ſit, generari non poſſe ſtatis circuitibus, quin inſimul copioſior ex & recrementorum quantitas emergat.

Ex & recrementa corporis ſunt inſenſilis tranſpiratio, urina, bilis, ſuccus ſalivalis, ſtomachalis, ſemen falsò dictum, muliebre, quin potiùs humor qui ex lacunis in vaginę & meatus urinarii orificiis, 'collocatis, nomine proſtatarum glandoſarum, habitis reconditur, & in amplexibus ac pollutionibus exoneratur: Humor denique qui per glandulas, quibus internum totius uteri involucrum, copioſiſſimis conſpergitur, ad uteri lubrificationem, exſtillat: cuinam ex his humoribus id febrile inſtantibus menſibus ſupervenit debeatur, ſupereſt inquirere?

Rebus ritè conſideratis & perpenſis, nullum ex & recrementiis humoribus, periodicam ſanguinis effèrveſcentiam videtur præſtare poſſe niſi quia unus horum eâ quâ producitur copiâ, non exterminatur è ſinu ſanguinis: ita ut reſtagnans ac reconditus in ſanguinis ſinu & cum eo circulatus, exaltetur, & exaltatus vim ſuam in ſanguinem exerat; ſic enim tranſpiratione, urina, bile, &c. ſecretione cohibitis febrire conſtanter obſervatur.

Ex aſſignatis unicum eſt reperire humorem, qui eâ quâ generatur copiâ, non extermine-tur è ſinu ſanguinis, ſed ex parte in ipſo colligatur. Isque humor eſt qui lubricando utero deſtinatur: cœteri enim omnes eâ quâ generantur quantitate, in totum è ſinu ſanguinis abſumuntur: quod evictu non eſt difficile. Enimverò per rariorem corporis habitum, quo fœminæ præ viris præditæ ſunt, copioſior exſpiratur materia inſenſilis: mulieres molliori ac faciliori alvo donantur ratione bilis ad inteſtina ubertim affluentis, quæ inſuper ſi in ſinu ſanguinis partim reſervaretur, ut fieret cauſa adauctæ menſtruæ fermentationis, inſtantibus catamœniis ſemper adjungeretur ut quid eſſentiale icterus, aut ſaltem redundantis bilis ſimptomata ut oris amaror, &c quod tamen neutiquam advertitur; copioſius fermentũ ſtomachale, copioſiori conficiendo chylamini ex quo copioſior prodit ſanguis, in fœminarum vaſis, impenditur. Copioſior ſaliva concitandæ rariùs ſiti tam inter edendum, quàm interdiu impenditur. Rarior enim fœmellarum ſitis arguit totum illud ſpatium quod pro abſumptione ſalivæ uberis, ora interdiu & inter edendum, madentis indigetur. Utut tamen minùs ſint bibaces & ſiticuloſæ; nihilominùs egregriè mingere ſolent: ex quo copioſior genita urina mingitur. Hæc omnia cuique evidentiora patebunt

qui mecum lactationis conſiderationem & obſervationem inire volet: lactantes námque ſolitò ſępiùs ſitiunt, bibunt proindè ac edunt, & tamen minùs mingunt, minúsque ſæpè alvum deponunt. Híque eventus haud aliundè proveniunt, quàm quia infans tunc temporis in proprium nutricatum ſugendo, abſumit illam chyli portionem, quæ conficiendis menſtruis, præcitatíſque ex & recrementis copioſioribus, extra idem tempus inſerviebat.
Humor proſtatarum muliebrium, è ſanguinis ſinu totus dimittitur in propria conceptacula ibíque coarcervatur, abhinc in dulcibus veneris amplexibus, pollutionibus, & alio quocumque modo eliminandus; non itidem eſt de humore qui ad lubrificationem internæ uteri totius ſuperficiei ex numeroſis glandulis funditur: non eâ enim quâ gignitùr copiâ, è ſinu ſanguinis, extra menſtruationem dilabi, aſt partem colligi cuiquam æquo rerum arbitro dijudicare licet ex lentore, quo humor uterinus donatur. Mucoſus enim & glutinoſus ovi albumine aliquantò ſpiſſior, teſte Charlet. de catam. cap. 3. & aliis per anatomiam inſpectoribus, ad lubricandum uterum, è glandulis ibidem numeroſè conſitis, intercalari menſtruorum tempore deſtillatur: quare ſi conferatur illius humoris conſiſtentia major, cum aliorum fluiditate; ſiquidem lentorum & mucoſorum ef-

fluxus longè tardior ſit ac ſegnior quàm tenuium & fluidorum: manifeſtum apparet humorem uterinum, intermedio menſium tempore, eâ quâ gignitur copiâ ſecerni non poſſe, ac proindè, partim colligi in ſinu ſanguinis: in probationem ulteriorem venit quod humor uterinus, qui intermedio menſtruorum tempore, glutinoſus ac mucoſus eſt, adeòq; lentè ac ſegniter in ſecretiorem movetur, iiſdem inſtantibus non modò mutatâ in fluidiorem conſiſtentiâ, ſed quoque uberiori penù exſtillet: ita ut obſcœnæ mulierum partes, tum temporis majori madore perfundantur, tantus eſt quandóque ploratus illius humoris ut nonnullæ eum pro fluore muliebri utut falsò accipientes mihi non ſemel retulerint, regreſſum menſium, haud certiori indicio, ſe agnoſcere quàm prævio plurium dierum fluore, nec niſi perperàm ac gratis qui regeret, accedente fluxus menſtrui tempore loca muliebria ex hinc ſolùm magis madere quod humor uterinus fluiditatem adeptus ſit cùm neceſſarium habeatur, cum fluiditate concurrat major affluxus, qui non niſi ejus collectionem à ſecretiore intermedio menſtruorum tempore reſiduam præſupponit.

Itaque ratum fixumq; maneat, inter humores corporis muliebris unicum uterinum à ſecretione ſupereſſe ac colligi in ſanguinis vaſis extra mēſtruationis periodū, intra verò eandem

copioſiorem affluere, quia portio illius à ſecretione in ſanguine ſuperſtes & collecta cum eo circulari nequivit, quin variâ fermentationis ſanguinis agitatione, attenuetur, adeóque fluidior & in fluxum paratior reddatur, & quidem cum ſalis intriſeci à compedibus ſalinis extricatione, quod ſe prodit ad acceſſum menſtruorum fervore ac privatu & in nõnullis temperamento bilioſo donatis, acrimoniæ ſenſu ad pubis regionem, & intra pudenda: nam etſi vacuo à menſtruis ſpatio, humor uterinus dulcedinem præ ſe ferat, ſal tamen in ſe quoddam recondit: haud aliter ac ſaliva quæ utcumque dulcoroſa in ore appareat, ſi tamen in vaſe collecta putredini committatur, ſuum ſal ſulphureis involventibus corruptione evolutum, linguæ admota oſtentat. Sed hæc purgaminis uterum ſalſedo, à ſecretione in vaſis ſuperſtitis, & exaltati, apertius in ſanguine menſtruo ſeſe demonſtrat: venenoſa enim qualitas, quam Authores ſanguini menſtruo tribuunt, debetur promiſcuo dumtaxat huic purgamini uterino; idqúe ex eo confirmatur; quod ſanguis per venam tuſam poſt menſtruationem emiſſus, nullam venenoſam prout menſtruus, qualitatem obtineat. Sennertus ſuo tempore, utcumque noſtræ hypotheſeos inſcius, hanc veritatem patefacit, ſtatuendo lib. 4. part. 2. ſect. 2. cap. 1. quæſt. 2. illos omnes

affectus, qui ſanguini menſtruo adſcribuntur, ei non quatenùs talis, ſeu ex ſe venenoſus, competere, ſed quatenùs illi aliquid vitioſum admiſcetur.

Sal evectum purgaminis uterini in vaſis collecti genuinam fermentationis menſtruæ cauſam eſſe, ex inquiſitione illius indolis liquidè conſtabit,

Sal conſtitutivum purgaminis uterini eſſe è genere ſalſorum patet ex ejuſdem ſicut & cæterorum ſanguinis humorum ortu: acidum enim & alkali, fermentationis ſanguinis veri Authores, poſt ſemel initam luctam, in tertium ſalis genus, ſcilicet, ſalſum, eo planè ritu quo ſal tartari & oleum vitrioli mutuâ permixtione, degenerare ſolent, ex cujus variâ ſpecie, adductis in conſortium veteranis aliis ſanguinis principiis, oriuntur varia humani corporis ex & recrementa, & quoniam linteum purgamine uterino ſub menſtruatione depluentem madidum, ſi tincturæ, florum malvæ aut violarum infundatur, eam, pro more ſalium alkalinorum, in virideſcentem colorem immutat: inferre licet ſal evectum purgaminis uterini, induiſſe naturam ſalſi de alkalino adhuc participantis, quare ſalſo acri, quo conflatur purgamen uterinum & intra vaſa ſanguinis à ſecretione reſiduum, ſemel evoluto, non modo augetur numerus principiorum fermentabilium, ſed & ejuſdem

ſalis ſcabritie, plura nova è ramoſis ſanguinis latibulis extricantur, & in libertatem adducuntur, unde fermentatio naturali auctior contingat neceſſum eſt: ab uberiori quippè vel pauciori principiorum fermentabilium extricatorum numero major vel minor ſanguinis efferveſcentia exſurgit. Quod verò hæc auctior efferveſcentia, ſtatis periodis ſuſcitetur, idqúe tam certò ut automata horologica rarò exactiùs: ratio eſt, quia purgamen uterinum à ſecretione ſuperſtes, in ſanguine in vaſis confluo, æquali menſurâ ac modo congeritur & æquali tempore exaltatum, ſanguinem æquali tempore, quaſi fermentum febrile intermittentium, in efferveſcentiam naturali nonnihil majorem cogit. Naturali dico nonnihil majorem, quia ſolemne eſt ſalſis imperfectis, quale ſalſum acre uterinum, ad occurſum adverſariorum nõniſi debiliter fermenteſcere, ob præfractam facto ante concretionem in ſalſum conflictu, fermentabilitatem: ſi enim ſalſum acre cum acidis inimicis pugnam aliquam adhuc dum admittat, illud ex eo evenit quod in ſalſo acri ſuperſint adhuc aliqua ſpatiola, in quibus ad introitum ſpiculorum acidorum materia ſubtilis, fermentationis primarius author adhuc dum intercipi poteſt.

Mirari quis deſinet? quî fermentum uterinum quo nomine ab effecto inſigniri me-

retur; tamdiu ſeu ad menſis excurſum vel circiter eum ſanguine circulari poſſit, antequam in actum prodeat: modò vel tantiſper animum advertere velit, tam diutinam in ſanguine quietem, antequam è lanuginoſis ſulphureis involventibus evolvatur, & ſui fiat juris; non ipſi ſoli ſed variis fermentorum ſpeciebus competere & commune eſſe: Anne enim fermentum variolarum ac morbillorum, quod nihil eſt aliud quàm hoc ipſum uterinum promiſcuè cum colliquamento nutritio in fœtus dum concluditur utero corpuſculum tranſlatum, ejuſdémque humoribus reconditum, ex quo etiam variolæ & morbilli inter morbos hæreditarios recenſentur, ad multos ſæpè annos in ſanguine quieſcere & deliteſcere obſervatur? nec in motum cieri effrænem, donec tandem à cōpedibus partium irretientium vindicatum ſit? tùmque morbi varioloſi & morbilloſi typum exhibet. Anne rursùm, fermentum venereum, longo temporis intervallo quandóque ſopitum manet in ſanguine, priuſquam ſuam venenoſitatem prodat, (ut ſi Fernelio credere fas eſt) ad viginti annos ſine effectu delituerit? Toxicum etiam canis rabidi morſu, ſanguini communicatum, non poſt dies tantùm aut menſes aliquot ſed poſt annorum etiam plurimorum excurſum, ſuas exeruiſſe vires & hydrophobiam invexiſſe,

varia teſtantur Foreſti, Sckenkii, aliorúmque monumenta.

Potens etiam paritatis argumentum, depromitur ex morbis variis per paroxiſmos recurrentibus, ut epilepſiâ, maniâ, arthritide, & aliis quorum fermenta, diuturno tempore, in ſanguinis gremio ſopita manent, nullamve humorum cient turbam atque læſionem, niſi tandem à contextu ſtaminum irretientium excutiantur & cum obviis luctentur adverſariis.

Invenimus tandem cauſam fermentationis menſtrualis in fœminis, oriri nimirum ab evecto in fluorem ſalſo acri purgaminis uterini, quod vacuo à menſtruis tempore, à ſecretiore per propria cola, reſiduum in ſanguinis vaſis congeſtum fuit. Jam diſquiramus modum ac rationem quâ ſanguis foras erumpit?

Vulgata eſt opinio periodicam uteri hæmorrhagiam fieri per tranſſudationem canalium; ita ut ſanguis per poros eorundem quaſi tranſcolatus, tranſſudet; ſed hæc opinio eminùs à vero recedit. Enimverò, tranſſudatio ſanguinis arguit illius fuſionem maximam, ad diſſolutionem, cujus ratione poros vel anguſtiores, quaſi ſudoris ſanguinei formâ, ſubintrare aptus eſt, vel arguit poros partis tranſſudantis ſolito patentiores & ampliores: ſed tantam ſanguinis diſſolutionem

ac colliquationem ut ille transſudet, nonniſi aliàs intenſiori febrium malignarum fermentatione & efferveſcentiâ oriundam & nunquã non periculo pleniſſimam, præviâ menſtruali naturalem nonnihil ſuperante contingere, planè eſt incredibile. Inſuper ſanguis in ſtatum colliquationis adductus, quâ potiori ratione per periodos tam exactè uterum inter cætera corporis ſibi ſeligat ad fluendum, non liquet? Sanguis enim ad ſelectum evacuatorii loci, intellectu & judicio deſtituitur; ideòque indifferens manet quâ amandetur, & prærequirit partis amandantis diſpoſitionem.

An itaque quia pori uteri, menſtruo tempore, cæteris reliqui corporis patentiores evadant, & magis pervii? Sed iterùm recurrit difficultas, cur nimirùm vaſa uteri præ reliquis corporis, certis circuitibus in poris dehiſcant magis? Reverà quoniam major vaſorum poroſitas ſupponit æquabilem ad ambitum eorumdem, diſtentionem, æquabilis ad ambitum vaſorum diſtentio, ſanguinem vel turgidiorem vel pleniorem vel utrumque: in menſtruatione autem, ſanguis non particulatur ſed univerſim turget & redundat, utpotè æqualiter in totum corpus diſtributus: ſequitur uterum ſub menſtruatione non magis in poris ſuis aperiri, quàm cæterum corporis, deeſſe proindè cur ſanguis per uteri

poros ſelectivè tranſſudet per periodos, niſi ergo peculiare quid cujus ratione ſanguis in fluxum potiùs determinetur per uterum, quàm alio fermenti ſcilicet inſiti & implantati adminiculo ſingulis menſibus in utero peragi præſupponatur.

Fermentorum enim peculiarium vindices non contendunt modò cauſam, ut antea dictum, fermentationis periodicæ in ſexu fœmineo pendere à fermento quod utero proprium & domeſticum ſtatuunt, ſed etiam ab eodem litant ſequacem ſanguinis eruptionem produci in hunc modum; fermentum videlicet illud ubi in actum prorupit, eam ſanguinis portionem quæ ad & circa uterum circulatur, ob cauſæ viciniam magis exagitare, exin uterum fervorem concipere, magis dilatâri, rareſcere, & tubulorum oſtia in ipſiùs cavitatem hiantia aperiri: ſanguinem verò fermenti exaltati vim excipientem & attenuatum per reſeratos ductus, in uteri cavitatem effluere effundíque è ſinu pudoris, fermentativi ſucci colluviem ſimul eluendo, uſque dum finito profluvio uteroque in priſtinum ſtatum reſtituto, nova congeratur colluvies fermentativa.

Huic fermentorum hypotheſi ſatis ſuperque reclamatum eſt Capite de Fluore albo Mulierum, ad quod remittimus Lectorem.

Supereſt inquirendum an ſanguis menſtruus prodeat roſione aut ruptione vaſorum uteri? Hi enim duo reſtant modi, quibus ſanguis evaſari poteſt; ſed abſit ut eroſio vaſorum, fluxus menſtrui parens cenſeatur? Acrimonia enim ſanguinis cui eroſio vaſorum debetur, propriis ſignis ſe manifeſtaret ſcilicet urinæ ardore, oris ſalſedine, oculorum punctione, &c. Inſuper non omnes cujuſvis temperiei mulieres menſtrua paterentur, quin tantummodò illæ quæ biliosâ donantur. Vacat adhuc ratio cur vaſa uteri præ reliquis corporis erodantur tam exactâ periodo, & quod magis eſt, catamœnia ſemper immoderatè nec abſque periculo fluerent, cùm vaſa ſemel eroſa & ſpiculis ſalinis continuò irritata, nonniſi emendatâ priùs ſanguinis acrimoniâ in coalitum adduci queânt, quæ omnia quantùm experientiæ quotidianæ rectóque judicio refragantur, vel leviter in re medica verſato, haud ægrè noteſcit, & ideò ſoli ruptioni vaſorum uteri fluxus catamœniorum adſcribendus venit.

Ruptura vaſorum fit ab incidentibus ſecantibus & ejuſmodi vi qualibet ſubitò divellente, vel ab ipſo ſanguine in viâ circulationis præpedito: dato enim in vaſis impedimento, ſanguis continuò affluens, & ultra progredi per impedimentum cohibitus accumulatur & quantitate ac percuſſione magis

atque magis diſtenſivâ nititur quaquaversùm in tunicas vaſis continentis impediti, uſquedum illæ ſanguini exitum quærenti, portulas aperire cogantur.

Cauſis ſecantibus & incidentibus ſuperſedeo, quibus nullus eſt vel minimæ conjecturæ locus. Impedimentum ſanguinis in commeatu circulationis, nihil eſſe poteſt niſi quid obſtruens, interiùs aut exteriùs quid comprimens.

Inter vaſa corporis ea ſunt obſtructioni ferendæ obnoxia & idonea, in quibus datur progreſſio ex latiori alveo in anguſtiorem, & ejuſmodi progreſſionem dumtaxat in arteriis reperiri ex circulationis doctrinâ, & earumdem conſideratâ fabricâ planum eſt. Obſtruens igitur eſt ipſemet ſanguis ſibi ipſi in arteriis apponens obicem, vel quia grumoſus eſt ac craſſior quàm ut ex arteriis capillaribus in venas liberè excipi poſſit, vel quia immoderatâ ebullitione agitatur: tantùm enim arteriȩ in ſuis extremis debent coarctari quantùm à ſanguine plus æquo rareſcente & turgente in ſuorũ principiorum proceſſu plus æquo dilatantur. Tertiò, vel quia ſanguis ad pletoram uſque redundat in vaſis idqúe eò magis ſi pletoræ turgeſcentia jungatur, ſuperiori de nomine: arteriæ enim capillares in meatu impeditæ vel coarctatæ, ſanguini continuò affluenti remoram injiciunt; quæ

quia majoribus tenuiores ſunt, ad extremum diſtentæ, aperiuntur & prodit ſanguis.

Rupturam vaſorum uteri ad catamœniorum eruptionem, pendere à grumoſo ac craſſiori ſanguine opinari non licet plurimo de nomine; Primò, quia mulieres, in quibus craſſioris ſanguinis ſuſpicio omnis abeſt, menſtruantur. Secundò, quia præcedaneâ fermentatione, naturali non nihil majori, viſciditas, ſi qua foret, ſanguinis ſolveretur. Tertiò, quia craſſities ac lentor ſanguinis, ſupprimendo menſes aptior eſt quàm movendo; inſtantes enim menſes aut fluentes ubi eo tempore viſciditas ac lentor, errore in modo vivendi, ſubitaneo terrore ac ſimilibus ſupervenit ſanguini: ſupprimuntur ac reprimuntur, & ſymptomata abhinc dependentia, ſe produnt. Poſtremò, ſanguis ſit ſeu grumoſus ſeu craſſior, ſeu tardior etiam cum plenitudine? Nihilominùs periodicæ vaſorum uteri reſerationis reus cenſeri nequit, quamdiu non noteſcit ratio, cur ſtatis circuitibus fluendus ſit potiùs per uterum quàm alio.

Bochnius in circul. anat. cap. 16. peculiarem vaſorum uteri texturam, menſium eruptioni egregiè litare ſtatuit, autopſiâ edoctus, arteriarum uteri ramos, uti & venarum ex utroque latere ſibi invicem per anaſtomaſim committi nec recto curſu ad uterum ferri, ſed variè inter ſe implicatos & contortos

curvis & quaſi ſerpentinis ductibus perreptare, contendit ſanguinem per uteri unius lateris arteriam, dum ad circulos minores fertur, ab oppoſiti lateris arteriâ neceſſariò aliam motûs directionem recipere, illiúſque pariter fluori imprimere, ita ut utriuſque rami ſanguis in motu turbetur, & in impetu aliquantùm refringatur: idqúe eò magis, dum à plexibus his arterioſis emergentes rami, tortuoſis pariter demùm ac ſerpentinis ductibus in ſubſtantiam uteri feruntur; ſimili prorsùs ratione cùm ſe habeant venæ, impetu ſanguinis intra arterias retuſo, lentâ magis undulatione, per harum quoque reticulatas implicationes vehi, ideſt, arterioſi ſanguinis impulſu, venoſum maximam partem, deſtitutum, reliquarum venarum ſanguinis motum tarditate notabiliter ſuperare. Inde colligit Author, ſicut extra turgeſcentiam menſtrualem ſanguinis motum, per hæc vaſa notabiliter infringi, & aliquid ſtagnationi analogum pati; ita non minùs hoc contingere ſub turgeſcentiâ illâ & quidem cum majore vaſorum horum diſtentione: adeò ut ſtagnans hic ſanguis, ſua vaſa, copiâ ac turgeſcentiâ divellat, ac per horum extremitates ruptas nomine menſtruorum promanet, donec ſubſideat aliquantulùm ac imminuatur ejus turgeſcentia.

Hæc opinio tantùm à veritate removetur,

quanta ingenii acuitate excogitata fuit, ſanguis equidem per uteri unius lateris arteriam prout venam excurrens, ab oppoſiti lateris vaſe haud aliam motus ſui directionem recipit, nec conſequenter illius fluori imprimit & pediſſequam ſtagnationem producit, cùm novæ motus directioni, non modo renitantur latera vaſorum anaſtomiſantium, ſed insimul, prout ſtagnationi, jugis impreſſus à corde impetus ſeſe opponat, nam ſanguis utriuſque rami ſeu arterioſi ſeu venoſi, etiamſi ſibi ex oppoſito occurrere ponatur, quia interim preſſio à corde & inſuccedentis altitudine, continua & eadem urget, reſtagnare nequit, prout renitente ductûs communis latere novam motûs directionem ſibi imprimere.

Johannes Freind, nuperrimus de catamœniis Author, eorum eruptionem in incurvationem vaſorum uteri accedente plethora, refert. Statuit ipſe molem ſanguinis auctam non modò latera vaſorum uteri valdoperè diſtendere, ſed in partes eorumdem curvatas cum eo impetu ferri ut fibras jam ſatis diſtentas cum ictu perfringat. Sententia Authoris quia argumentis ſubtilibus ex mechanice deſumptis, ſuffulcitur, latiùs referri meretur, eam tuetur principiis ſubjectis: Primò, augetur momentum corporis cujuſvis ſeu vis ea quâ corpus è loco ſuo continuò tendit

:endit augendo vel celeritatem, vel quanti-
atem materiæ, vel utramque. Secundò, ſi
nomentum corporis ſit majus quàm contra-
ia impedimenti vis, id impedimentum re-
novebitur. Tertiò, in percutientibus cor-
oribus, ictuum magnitudo, motui deper-
lito proportionalis eſt. Quartò, motus de-
erditus eſt ut reſiſtentia. Quintò, ſi corpus
latâ vi, in impedimentum aliquod feratur;
ctus magnitudo erit ut ſinus anguli inci-
lentiæ. Sextò, in quovis fluido non tantùm
:ſt preſſio deorsùm, ſed etiam à latere & un-
lequaque. Septimò, fluidum corpora cir-
:umpoſita premit à latere cum omni illa vi,
quâ partes ejus conantur à preſſione recedere.
Octavò, preſſio lateralis eſt in ratione altitu-
linis, quâ fluidum incumbens aſſurgit. Nonò,
lirectio preſſionum ſuperficiei quæ premitur,
:ſt perpendicularis. Prioribus duabus propo-
ſitionibus conatur oſtendere quare increſcen-
:e plethorâ, ſanguis è canalibus ſuis erumpen-
lo diſponatur, & quidem primâ propoſitione
contendit in plethorâ momentum ſanguinis
augeri, quia illius quantitas & velocitas au-
getur. Velocitatis argumentũ ex eo deducit
quod ſanguis mole creſcere nequit quin plu-
res in cerebro ſecernantur ſpiritus adeòq; in-
luant intra cordis villos: Unde crebrior & va-
idior ejuſdem contractio; infert ſanguinẽ au-
ctâ mole & velocitate, majori cum momento

in impedimenta quævis impingere, cùm verò vaſa ſanguinea tanquam impedimenta ſpectanda ſint, ne ſanguis extra canales feratur & id efficiant quamdiu aut æquis viribus aut majoribus, ſanguini circulanti renituntur: Concludit, ſi eouſque increbuerit ſanguinis momentum, ut ei oppugnando vaſa minimè ſufficiant, ea locum facilè cedere, ut per ipſorum tunicas ſanguis erumpat. Reliquis propoſitionibus utitur ad evincendum quare ex contortis uterinis vaſis, ſanguis menſtruus potiſſimùm eliciatur, ita ratiocinatur. Si in recto canali decurrat fluidum, datur tantùm preſſio, eáque lateralis per propoſ. 7. quâ ſcilicet latera canalis diſtendit fluidum, quia latera non opponuntur fluido in directum, adeóque nec impedimento ſunt: ſi tamen in curvo canali prout uterino moveatur fluidum, canalis latera non tantùm premit, ſed omni quo pollet momento in ea impingit, quanto verò majus hoc impeditum obſtaculo, de motu ſuo deperdit, tanto fortior erit in idem obſtaculum ictûs magnitudo, per prop. 3. quantò verò magis incurvantur vaſa, ideſt, quo magis directioni fluidi ſunt oppoſita; eò major erit vaſorum reſiſtentia, & proinde major ictuum magnitudo, per propoſ. 4. & indè uberiùs accedet fluido vis quâ faciliùs poſſit vaſa perrumpere; ſi enim canalis cylindrici axis ſit fluidi

rectioni ſemper parallelus, nullus erit parti-
ılarum fluidi, in ipſius latera impetus,
leoque ictus nullus, fluidum verò omni illâ
quâ premitur, latera vaſis perpendiculari-
r urgebit, quod ſi quantitas fluidi augea-
r; preſſio etiam & vis quæ in canalium la-
ra exercetur, augebitur: unde orietur ca-
lium diſtentio, & proindè laxior fibrarum
xtura minórque inter ſe cohærentia. At ſi
nalis ſit inflexus paulò, ita ut ſanguis ob-
què feratur moles ſanguinis aucta, modò la-
ra ipſius diſtendet, ſed in partes curvatas
ım impetu feretur, & fibras jam ſatis di-
entas cum impetu perfringet, eóque faciliùs
m vis ictûs, omni preſſione infinitè major
. Ictûs enim magnitudo major erit, quo
agis incurvatur canalis, idqúe in ratione
ıus anguli incidentiæ, qui quia maximus
in vaſis uterinis ob contorſionem, ita in
dem vis ictus intendi debet, longitudinem
ſorum uteri ex circumvolutione natam, in
bſidium convocat, ut ſanguis per uterum
ciliùs effluat: quia longitudine efficitur, ut
ıs ſanguinis intra latera ſua excipiant, cu-
proinde quantitate auctâ augetur mo-
entum.

Inſuper à ſitu perpendiculari fiſtulæ arte-
lis à corde ad uterum tendentis, argumen-
ı depromit; nam (inquit) quia in fluido
prop. 7. corporis cujuſvis circumpoſiti

fiat preſſio; non deorsùm modò ſed etiam à latere; per prop. 8. autem, preſſio lateralis ſit in ratione altitudinis, quâ attollitur incumbens fluidum: univerſa columna ſanguinis ab aortæ deſcendentis trunco ad uterum protenſa, uterina vaſa à latere idqúe perpendiculariter per prop. 9. comprimet & diſtendet, ſi preſſio hæc à ſitu arteriarum perpendiculari orta cum iis quæ de canaliun ambagibus dicta ſunt, conferatur; Autho colligit, propter plethoram & pondus fluidi tum in arteriis tum in venis uterinis pei pendiculariter incumbentis, latera vaſorui ita inflanda ut fibræ à ſe invicem diſtrahar tur, & vi illatæ cedant, idémque valvula rum in venis uterinis defectum, in ſuam part iterùm ducit, cõtendendo, eum defectum cu in arteriis ſitu perpendicalari tortuoſáque ii flexione, plurimùm facere ut ſanguis redu dans per vias uterinas evacuetur: quia in v nis uterinis propter valvularum defectur nil prorsùs obſtat quominùs ſanguis om qui in ramis amplioribus continetur, retr versùs capillarium anguſtias corruat & 1 nella orificia ita premat, ut impulſu q vis promptiùs diſſiliant..

Hæc opinio etiamſi argumentorum rob veroſimilior appareat; nihilominùs in plu bus deficit. Enimvero errat Author, dum tuit in plethorâ, ſanguinis aliàs ritè adm

ꝛ comminuti quantitatem & velocitatem
emper augeri : allata enim ſuper hâc re ar-
gumenta ſpectant tantummodò plethoram
mediócrem, non ſummam, in quâ cum ſan-
guis plenior, non poſſit defectu ſpatii liberè
fermentari atque ita partes volatiles ſpiri-
tuoſæ ſufficienter extricari ; fit ut induca-
tur ſpirituum ſecretionis defectus : & licet
partes volatiles ſpirituoſæ extricatæ ſuppo-
nantur ; ob lentiorem ſanguinis progreſſum,
fit ut cerebrum versùs, tardiùs rapiantur,
etiam ad cerebrum perductæ, illo ob ni-
miam vaſorum plenitudinem oppreſſo, ſe-
cretionem nonniſi partialem & imperfectam
ſubeant ; quibus proinde ad cor parcè afflu-
entibus, illius vis impellens notabiliter im-
minuenda eſt.

Inſuper plenitudinis ſummæ causâ cordis
thalami tanto turgent ſanguine, ut illius
actio quaſi ſuſpendatur, ita quoque inflan-
tur arteriæ ut nativâ elaſticitate, quâ non
parùm ſanguinis circumactio juvatur penè
ſpolientur. In ſummâ demùm plethorâ, ſan-
guinis ſeries ab arteriis ad venas, à venis ad
cor, tam preſſa eſt, ut ſanguis ſibi ipſi in
commeatu circulationis impedimento ſit. Ex
his luculenter patet, in ſummâ plethorâ
adeò non augeri momentum ſanguinis quin
potiùs imminui.

Ejuſmodi plethoram dari Author cap 6.

& 9. inficiatur, contenditqúe à plethorâ per ſe ſpectatâ, menſes nequaquam poſſe ſupprimi quin cum lentore conjuncta ſit, & ejuſmodi plethorâ laborâſſe fœminam cujus meminit Riverius obſ.2. cent. 1. ſed in hoc magnoperè decipitur; quandoquidem ſi menſes in illa fœmina ob lentorem plenitudini ſocium dumtaxat ſubſtitiſſent; illi, ſectâ in brachio venâ per uterum non erupiſſent: venæ ſectio enim, ſanguinis quantitatem tollit, non qualitatem; ideoque quandocumque datur plethora cum ſanguinis lentore, primò quidem ſecatur vena, ut per eam imminutâ ſanguinis redundantiâ liberum attenuantibus & incidentibus concedatur ſpatium in vaſis ad facilè ac tutò agendum in nimiam illius qui ſupereſt in vaſis, cohæſionem; ita ut argumentum Authoris vim ſuam exerat non in ſumma, ſed ſolùm in mediocri plethora in qua verè neceſſariò ſanguis alioquin laudabilis, velociùs circulatur, adeoqúe majori cum momento in impedimenta quævis impingit. An verò talis ſanguis incidens in flexionem vaſorum uteri, allatis ſupra ab eodem momentis, tantam horum diſtentionem & diſtractionem moliri poſſit, ut erumpat foras, jam diſceptandum?

Juxta hunc accuratum Bellinianæ doctrinæ ſectatorem: *Vaſa ſanguinea tanquam impedimenta ſpectanda ſunt, ne ſanguis extra*

canales feratur; hocq; efficiunt quãdiu aut æquis aut majoribus viribus ſanguini circulanti renituntur, cùm verò eò uſq; increbuerit ſanguinis momentum, ut ei oppugnando vaſa minimè ſufficiant, locum facilè cedunt, ut per ipſorum tunicas ſanguis erumpat, quò autem eò uſq; increbreſcat ſanguinis momentum ut ei reſiſtendo, vaſa non ſufficiant & perrumpantur, opus eſt ut moles ſanguinis aucta non modò latera ipſorum diſtendat, ſed in partes laxatas cum impetu feratur: indè fibras jam ſatis diſtentas cum ictu perfringet. Hæc rationi adeò conſona ſunt ut ratione omni deſtitutus cenſendus ille ſit qui diſſenticrit. Violenta igitur & quæ poteſt maxima vaſorum diſtentio requiritur ut fibræ componentes à ſeſe invicem diſtrahantur & ſanguini exitum parent, idqúe conſtat per propoſ. 2. Ad hoc autem ut diſruptiva vaſorum diſtentio contingat, requiritur eodem annuente, ut ſanguis quâ mole, quâ velocitate auctus, quâ mole latera vaſorum ita diſtendat ut quâ velocitate irrumpendo, fibras jam ſatis quâ mole diſtentas cum ictu perfringat: dicente námque Alphonſ. Borell. lib. de vi percuſſ. Energia percuſſionis menſuratur, nedum ab impetu incidentis corporis ſed etiam ab ejuſdem mole corporea, iis ita ſe habentibus, perhibere non dubitabo, quantumcumque in curvis canalibus, vis ictus intendatur idqúe

in ratione ſinus anguli incidentiæ : interim quamdiu libera patebit via, quâ fluidum impetus, ulteriùs ab incumbente detrudi poſſit & proſiliat ; latera canalis ad eum intumeſcentiæ gradum adduci haud poſſe ut vi ictûs cedere cogantur, & in hoc puncto Cl. Freind lapſus eſt ; ſubjecto noſtro rem accommodare lubet.

In plethorâ quia ſanguis in toto corpore æquabiliter redundat, indicium eſt eum æquabiliter in totum corpus diſpertiri, vaſa proinde ex ſe flexilia & in ſpatium ampliùs ductilia, extanti plenitudini facilè ſe accommodare. Unde liquet ſanguinem quâ mole auctum, ita vaſa diſtendere in plethorâ non poſſe, ut quâ junctâ velocitate impetendo eorum latera diſpeſcat, niſi occurrat impedimentum, compreſſionem, puta vel obſtructionem, cujus ratione, in ſuo curſu impeditus, in ſe reſiliat & accumuletur, tum temporis ſumma erit preſſio lateralis & in ratione altitudinis quâ fluidum incumbens aſſurgat & viam ſibi patefaciat ; ad hanc autem ſanguinis accumulationem, ille in curvos uteri canales impetendo, deberet in ſe reſilire, in ſe enim reſiliendo, libero ſuccedentis excurſui remoram injiceret & accumularetur : Aſt in ſe reſilire nequit quia momentum univerſæ columnæ ſanguinis retrò affluentis, & ab aortæ deſcendentis trunco,

ad uterum protenſæ præpollet, ita ut ſanguis impingens in ſinum anguli incidentiæ, ab eo in apertam reliqui vaſis ſectionem recedere & proſilire cogatur.

In ſententiæ confirmationem gratis adfertur valvularum in venis uteri defectus, quæ teſte Graaff cap. de uteri ſtruct. & aliis Anatomicis, plures reperiuntur, & ligatâ uteri venâ per varia ſpatia cuique inſpectori clarè ſe conſpiciendas præbent, poſito tamen in venis uterinis earum defectu? Inconveniens non exiguum oriretur, adducti ſcilicet in fluxum menſes, ſemper immodicè fluerent, quoniam enim propter valvularum in venis uteri defectum ſanguis omnis qui in ramis amplioribus continetur, retrò versùs capillarium anguſtias corruet & gravabit; ſuccedens ergo arteriarum premitur & in ſuo commeatu retardabitur, unde pleniores arteriolæ fient; ſiquidem verò ad coalitum partium diviſarum, opus eſt mutuus earumdem contactûs, & ille plenioribus vaſis præpediatur; futurum ut adducti in fluxum menſes, defectu valvularum in venis uterinis, immodicè ſemper fluerent, quod profectò experientiæ nedum adverſatur, ſed quoque ſexui ſequiori nimium exitiale foret, ob oriendam inde chronicorum & gravium morborum Iliadem.

Cùm itaque apertio vaſorum uteri in ob-

ſtruens quid interiùs referri non poſſit; reſtat indagandum an quid comprimens exteriùs illam inferre potis ſit?

Id comprimens exteriùs pro menſtruatione, debet jacere in ſubſtantiâ uteri & certis abire & redire temporibus: unde ſcirrhi, concretiones & tumores quicumque durabiles hinc excluduntur. His ita habitis, ex omnibus conſtitutivis uteri partibus, præter glandulas, quæ interno ejuſdem involucro paſſim & ſpiſsè interſeruntur, nulla redivivæ ceſſantique ſtatis circuitibus, inferendæ compreſſioni magis cõparata aſſignabilis eſt: adeò ut ſi glandulas uterinas, ſtatis circuitibus tumere & detumere oſtenderimus; in hoc ipſo ruptionis vaſorum uteri, proinqúe periodicæ hæmorrhagiæ cauſam conſiſtere, ratum fixúmque maneat neceſſum eſt, & hoc merè eſt ſpecialius quod in utero peragitur ut per eum ſanguis ſingulis menſibus, quaſi ſelectivè effluat: nam tumentibus uteri glandulis, vaſcula venoſa ubertim interjecta, & ob habitum tenuiorem præ arteriis compreſſibilia, anguſtari in ſuis cavitatibus debent: unde ſanguis in via refluxus ad cor interceptus, eâ cumulandus eſt copiâ ut diſruptivam venularum compreſſarum diſtentionem efficiat, & exitum ſibi quærat foras.

Ex Anatomicis qui glandoſi generis fabricam oculatiùs perſpexerunt, glandulæ uteri

prout reliquæ corporis conſtant ductu ſecretice, ſeu immiſſario, excretice altero ſeu emiſſario, & cavitate intermediâ glandulæ nomen retinente, in quâ nonnihil humoris affluentis coacervatur citra tamen putredinoſam ſtagnationem qualem ſtatuunt fermentorum peculiarium & glandulis implantatorum vindices: quia novo ab arteriis aſportato, continuò renovatur haud abſimiliter ac aqua fontis, in craterem, perpetim incidendo, colligitur nec putreſcit quia novâ affluente perpetuâ agitatur, expellitur & renovatur.

Quò autem glandulæ intumeant præter morem, appellens ab arteriis liquidum, debet eſſe viſcidioris naturæ quàm ut per meatum excretorum exoneretur, vel debet per emiſſarium, uberiùs adferri, quàm per emiſſarium effundi queat: hi ſunt námque bini modi quibus glandulæ tumere ſolent.

Expedita tumentium uteri glandularum cauſa repeti nequit ab humoris inquilini viſciditate, naturali majori; quippè qui fluxilior ſolitò inſtantibus menſibus, exiſtit, & qualem probavimus ſupra. Inſuper ex viſcidiore liquido, oritur quidem tumor glandularum ſed permanens & durabilis, haud verò ſtatis circuitibus abire & redire habilis, qualis impræſentiarum requiritur: quamobrem ſi quando tumere debeant grandulæ uteri

pro menſtruatione, illud referendum in affluentiam purgaminis uterini majorem per immiſſarium quàm per emiſſarium exonerari queat. Quoniam verò nequit affluere plus purgaminis uterini fluxilioris per ſuum immiſſarium quàm emiſſarium dimittatur, citra majorem pori immiſſarii amplitudinem: evicto igitur quod immiſſarium glandularum uteri in menſtruatione ampliorem meatum ſortiatur: conſtabit neceſſitas periodicæ glandularum uteri intumeſcentiæ ſubſequentis proinde compreſſionis & aperturæ venularum proximiorum, cujus beneficio ſanguis menſtruus ſuperabundans evaſetur.

Illud non eſt evictu ita operoſum, ac primâ fronte cuique videri poteſt: fermentationis enim periodicæ naturali majoris, & adjunctæ citioris circulationis argumentum rei huic dilucidandæ ſufficit. Reverà humor uterinus à ſecretione in vaſis ſuperſtes, & variis circulationis motibus tandem evectus, menſtrualem efferveſcentiam movere nequit quin cum aliqua interna efferveſcentia ac turgeſcentia in ductum ſecretricem aſportetur, retinet námque in ſe non parùm præconceptæ in ſanguine fermentationis, naturali validioris: unde valido purgaminis vterini turgentis niſu flexiles parietes ductùs ſecretorii extrorſum efferri non poſſunt citra cavitatis incrementum. In hunc ſcopum non mi-

nùs conſpirat, citátior adjuncta ſanguinis circulatio, frequentiori arteriarum vibratione notata: enim verò quoniam, uberans colluvies uterina profluit è ſanguine arterioſo qui per totam uteri peripheriam excurrit; ſanguis autem arterioſus, è ſuo gremio eam non exonerat, niſi repetitis & ſucceſſivis vicibus, pro alternatione contractionum cordis & arteriarum: ſequitur, ſub menſtruatione contractiones cordis & arteriarum, frequentiùs alternari non poſſe; quin uberans in ſanguine eaque fluxilior colluvies uterina continuata propius ſerie & majori impetu aſportetur, & ita affluens nitatur in latera ductûs ſecretricis, ſeu immiſſarii qui perconſequens in ampliorem non migrare non debet, eóque potiùs quod immiſſaria quæque fluxiliori & uberiori fluido irrorari nequeant, quin magis molleſcant, adeoque aptitudinem recipiendæ dilatationi ſortiantur; ita ut ſanguinis aſportantis & tradentis niſui faciliùs obedire cogantur, & vias majores fluido uterino aperire. Ex hinc itaque quid mirum? quia ſecretio fit ut velocitas & momentum ſanguinis & vaſis immiſſarii orificium, demonſtrante Bellino, quid mirùm (inquam) ſi aſſeruero vaſſa immiſſaria glandularum uteri in majus ſpatium efferri non poſſe, quin majus recrementi genuini penus excipiant & ſecernant, in glandularum corpus dimittendum.

Evidens igitur patet neceſſitas amplitudinis majoris, ductus ſecretorii glandularum uteri ſub menſtruationis inſtantiâ, adeóque copioſioris affluxus, cum quadem ſpumâ humoris genuini in cavum earumdem, quàm per excretorium amandari queat. Expedit nunc periodicæ vaſorum uteri ruptionis rationem ac modum demonſtrare.

Agê quoniam exundare non poteſt colluvies uterina in cavo glandularum cum interna aliqua effervefcentia citra earumdem diſtentionem; nec diſtendi poteſt cavum glandularum, citra compreſſionem venularum interjectarum & proximiorum; nec comprimi ramuli venarum, citra remoram & collectionem ſanguinis. Liquidò patet, compreſſos venarum ramulos, à ſanguine continuò ponè affluente & ultra progredi neſcio, ad extremum diſtendi non poſſe citra divulſionem ac ruptionem laterum minùs reſiſtentium, quàm ſubſequetur eruptio ſanguinis nomine menſtrua, quæ cõtinuanda eſt donec ſuperfluus individui ſanguis, ac inſimul proportionaliter congeſta colluvies uterina in totum expurgetur, eáque partim ac potiſſimùm per cola propria, partim ac minimùm, & promiſcuè cum ſanguine deciduo, amandatur, tunc temporis ſublatis efferveſcentiæ & compreſſionis periodice cauſis, auctior ſanguinis fermentatio, in naturalem

gradum remittitur, comprimentes depri-
nuntur glandulæ, & latera divulſa venula-
um in ſeſe collabeſcentia, medio glutine nu-
ritio coaleſcunt; unde ſanguis, denegatis
vaſationis cauſis atque viis, priſtino circui-
ionis curſui reſtituitur, & dantur menſtruo-
um induciæ: donec recrudeſcente redun-
lantiâ ſanguinis in vaſis, inſimúlque purga-
ninis uterini collectione & per varias circui-
us motiones exaltatione tragœdia menſtrua-
is interpoletur. Sed! ô mirum ſummi Fabri-
atoris artificium? qui vaſa non recto ſed cur-
o ac quaſi ſerpentino curſu per uterum dif-
undi voluit ut per natam inde longitudinem,
nultiplicibus, quibus toto eo tempore quo
œmina generationi apta eſt, recipiendis de-
tinantur, ruptionibus ſufficiant; vaſa etenim
uo magis contorta ſunt, & circumvoluta;
ò longiora multo ſunt nec in parte cicatri-
is ut potè denſiore & duriore, ſed in eâ quæ
icatricis expers eſt, diffringenda.

Quid ſit menſtruum mulierum tributum?
uis generationis modus, quis prævius ſan-
uinis ſtatus, quæ cauſa ſupervenientis fer-
nentationis, naturali paulò majoris, quâ ra-
ione ac modo menſtrua in fluxum acciean-
ur? Hactenùs in propatulo poſitum eſt, nunc
uvat progredi ad alias circùmſtantias quo
empore vid. menſtrua fluere incipiunt de-
núntque, quæ quantitas, quæ qualitas ſan-

guinis erumpentis, ac demùm quæ ſint imminentis eruptionis indicia?

Quo ætatis anno catamœnia fluere incipiant deſinántque non eſt ita certum definire: Ordinariò erumpere obſervantur, ſecundo ſeptenario, ideſt, decimo-quarto ætatis anno, quo nubiles & ad generationem aptæ reputantur puellæ: tumque magnæ in corporæ mutationes fiunt. Pubes erumpit, ubera prominere & ſororiarè incipiunt, vox tenella in graviorem mutatur, puellæ libidinis incentiva ſentire & juvenum conſortium adamare incipiunt: Quæ mutationes per id temporis contingunt, quia ſanguis in fermentationis motu petulantior evadit, fluunt pariter menſes quia corpore tum ferè debitam magnitudinem adepto, ſuccus nutritius ſuperfluitare adeóque ſanguis redundare incipit, in nonnullis aliquot ante & poſt ſeptenarium ſecundum, annis, menſtrua exeunt, idqúe diverſitati temperamenti, aëris, regionis, victûs, &c. tribuitur: cùm pro varia harum circumſtantiarum ratione, citiùs aut lentiùs in vaſis menſtrua colluvies luxuriare adoriatur.

Obſervandum eſt illas quæ maturiùs menſtruantur, ſalaces eſſe & breviore vitâ frui, contrà alias quæ tardiùs menſtrua ineunt, decimo, puta, ſeptimo aut octavo ætatis anno, longæviores eſſe. Profluvium hoc, aliquando

intervenire notatur in tenera ætate, ſcilicet, octavo vel nono ætatis anno, imò etiam interdùm quarto vel quinto. Suprà fidem propemodùm eſt quod Deckens Cl. in barb. cap. 12. ſe Lugd. Batav. obſervaſſe narrat, in infante cui duorum circiter annorum ætate menſtrua prodierunt. Sed magis mirùm? Bochnius in circul. annot. pag. 16. teſtatur 3. & 4. à nativitate die in duabus puellis. Kerkringius ſpicill. anat. obſ. 87. & Bourgeois de obſtetr. lib. 2. cap. 5. ab ipſo nativitatis die menſtrua fluxiſſe, ſed eaſdem infantes menſtruis haud diu ſupervixiſſe notârunt.

Recurrit autem fluxus menſtruus plerumque ad ſeptimũ ſeptenarium, & poſt quinquageſimum annum ut plurimùm ſubſiſtit: partim quia tum ſanguis defervere incipit, unde non tanta amplius ſanguinis copia generatur, ſed tantùm ſolùm quantùm ſanitatis cõmodo ſatis eſt. Quemadmodùm enim ſanguinis ſanguificantis energia, creſcente ætate paulatim accreſcit, ita eâdem declinante lentis etiam gradibus decreſcit, partim quoque ob viarum arctitudinem & ſiccitatem. Notant Authores, quò maturiùs incepit menſtruatio eò temporiùs eandem deſiſtere: & ratio eſt partim quia temporiùs incepta expedita ſanguinis fermentatio cujus ope collectio oritur menſtrui tum ſanguinis tum purgaminis uterini in vaſis, citiùs temperatur; partim quia

partes ſolidæ corporis proindéque uterus cum glandulis de flexibilitate & mollitie tum temporis deperdunt, ut diſtentioni compreſſivæ, glandulæ utero inſitæ minùs pares fiant: præporrò venularum capillarium tractus ob multiplicem divulſionem, continuâ tandem cicatrice quaſi callo ita obductus eſt ut per eas nullus ultra pateat, divulſioni locus, & ſanguini proinde egreſſus. Sicut tamen circa menſium incipientium ita etiam & deficientium terminos anomaliæ advertuntur teſtimonio Fabricii Hildani, Gregor. Horſtii & Timæi à Guldenclee in obſer. qui referunt menſtrua ad 70. & ultra annos fluxiſſe in quibuſdam, quod conſtitutioni ſanguineæ, & bono corporis habitui adſcribendum eſt.

Neque omnes ac ſingulæ eodem exacto tempore, ac termino evacuantur; omnes ratione variæ ætatis, variæ regionis, varii temperamenti, varii victus, &c. Singulæ utcumq; ejuſdem ætatis, ſub uno habitantes climate, & ejuſdem temperamenti, propter diverſo tempore animi pathemata, aſſumpta plus vel minùs ſale volatili ſcatentia, mutatum ſubinde vivendi methodum, majus vel debilius exercitium ac variam tempeſtatem. Nihilominùs tamen ad minimùm inter unam & alteràm purgationem, viginti & duo dies intercurrunt, ad ſummum autem triginta, intra quos terminos uni citiùs, alteri ſeriùs accidit

ille fluxus. Intellige ex his calidiores citiùs quidem quàm frigidas menſtruari : quia in prioribus vegetior ſanguinis fermentatio, in poſterioribus languidior. Reperiuntur etiam nonnullæ quæ menſtrua experiuntur bis in menſe citra ſanitatis noxam, cujus exem-plum videre eſt, in Schultio & Panarolo.

Spatium etiam dierum non in omnibus dem eſt : quibuſdam enim per dies duos, tres quatuorve ſolùm fluunt, quibuſdam per quinque, ſex & plures, in iis nimirùm, quæ ſanguineo ſunt temperamento, atque in otio vi-unt & genio indulgent, & cibos boni ſucci iberaliter edunt: ac propterea multum ſan-guinis ac relativè recrementi uterini cumu-ant, ita ut nonnullis fluxus ad 12. dies pro-rãhatur, prout non ſemel obſervare mihi icuit : quanquam id ſecundùm naturalem œminarum conditionem, fieri haud putan-um, quatenùs fœminæ quæ otio ſunt dedi-æ & gulæ indulgent, ſæpiùs ſint, annuente Medicorum cœtu, morboſæ, & ſteriles; con-rà eæ quæ calidioris & bilioſi ſunt tempera-nenti, ut viragines in piloſum corporis ha-itum multum materiæ menſtruæ deper-entes, breviori tempore purgantur, ſicut & læ quæ tenui victu utentes, ſuperfluitatem nguinis & purgaminis uterini exiguã expe-iuntur, vel multùm exercitæ per tranſpira-onem aut urinas uberes, multùm amittunt:

ſicut & illæ quæ obæſiores ſunt, cùm in ii
non parva materiæ menſtruæ portio in adi
pem ac pleniorem corporis nutricatum abſu
matur. Nec in omnibus quidem pari riti
fluunt menſcs; in his continenter & confer
tim, ut fluxus paucis diebus perſolvatur, ii
nonnullis paulatim & cum intermiſſione, u
pluribus diebus protrahatur.

Quantitas ac menſura ſanguinis qui erum
pit foras in omnibus ac ſingulis nō eſt eadem
in omnibus variat pro temperiei, ætatis, vi
ctûs, &c. diverſitate: calidiori enim tempe
ramento donatæ minùs ſanguinis ejiciur
quàm quæ frigidiori donantur, quatenùs i
his major fit abſumptio materiæ menſtru
quàm in illis. Eodem de nomine laborioſi
fœmellæ vitam viventibus otioſam minù
purgantur, obæſæ, graciles & viragines, qui
in his portio materiæ menſtruorum gene
deſtinatæ in corporis alimentum, in illis pil
rum productionem tranſit, & in gracilibu
quæ pauciùs nutriuntur, minor adeſt mat
ria menſtruorum, minùs proindè menſtrua
tur iis quæ medio ac ſanguineo ſunt temp
ramento, victuqúe opimiori utuntur: juni
res ac ſeneſcentes pauciorem fluxum patiu
tur quàm quæ florente vigent ætate
quia in his menſtrua colluvies minùs redu
dat quàm in illis. Unde & ratione ætatis ſa
guinis qui fluit in ſingulis menſura variatu

nam in junioribus fluxus ex quo ſuam periodum incepit, ad ætatis uſque florem augetur, florente ætate æqualis permanet, ad ætatem uſque declinantem, quâ iterùm minuitur donec tandem planè ſubſiſtat. Quantitatem verò ſanguinis quæ cuique ætati temperaturæ ac vitæ generi naturaliter competit, fluxiſſe, ex eo cognoſcitur quod poſt menſium effuxum, neque corporis gravitas ulla, neque virium debilitas relinquatur, quin potiùs hilariores & expeditiores inde evadant fœmellæ.

Quoad qualitatem, ſanguinem menſtruum, vitiosâ coinquinari ex his perhibetur, quod non ſine moleſtia viarúmque mordicatione profluant: ſiqúe tempore fluxûs, coïtus ineatur, virile membrum ruborem ac aliquantam excoriationem ſæpè contrahat, infantéſque ibindè enati voluptuoſam parentum libidinem inſalubri vitâ plectere ſoleant: rursùm, quod tempore quo menſtrua fluunt vapor, qui ex illis & corpore menſtruatæ exhalat, ſpecilli ac eboris nitorem obſcuret, muſtum ac cereviſiam, in utribus ebullientem, areſcere faciat, quod hic ſanguis vel urina eodem gravida, ſi in novellam vitim, fruges & alia vegetabilia incidat, illa in perpetuum lædat, imò exareſcere faciat & enecet; inſuper quod ſanguis menſtruus à canibus linctus, eos in rabiem adigat, & ab hominibus

hauſtus miris eos affligat cruciatibus, epilepſiam, maniam, lepram, eandem denique perniciem quam potus ſanguinis elephantiaci, inferat; exin etiam quod Chirurgi in vulnerum curâ & deligatione abhorreant fœminarum præſentiam, metu menſtruationis cujus effluviis vulnera depravantur: porrò exin ſanguinem menſtruum qualitate peccare contenditur, quod dum ejus effluxus ſupprimitur extra gravitatis & lactationis negotium, graviſſima etiam affert mala. Quæ maleficia commemorata num in ipſum ſanguinem fluentem? utrùm in aliud quid ipſi promiſcuum ſint refundenda, non leviter diſceptatur apud Antiquos ac Recentiores. Sennertus & alii non minoris famæ, ſummo jure ſtatuunt illos omnes effectus qui ſanguini menſtruo tribuuntur, ei, non quatenùs talis competere, ſed quatenùs illi vitioſum quid admiſcetur, illud quid vitioſum, merè eſt purgamen uterinum, cui ſanguis menſtruus interfluendum permiſcetur: quoniam enim miſſio quæcumque ſanguinis ſeu artis miniſterio ſeu conſultu naturæ, tollit ſolùm quantitatem, haud qualitatem: hinc ſanguis menſtruus in ſe ipſo deterioris dici nequit qualitatis, quàm qui à menſtruatione ſupereſt in vaſis & circumagitur, enimverò ſanguis à menſtruatione in vaſis confluus, pravæ qualitatis participem eſſe negat bona menſtruatæ valetudo, negat pariter

miſſi poſthac per venam tuſam ſanguinis innocua indoles, aſcititia purgaminis uterini à ſecretione in vaſis ſuperſtitis, & per commorationem ſtatis temporibus acrimoniæ manifeſta qualitas, effectuum memoratorum planè capax eſt. Cùm enim tanta ſit acrimonia purgaminis uterini congeſti & exaltati, ut dicente Helmontio, menſtruatum linteum aquæ ebullienti immerſum, maculam contrahat indelebilem, quæ demùm, tertiâ lotione è linteo foraminato excidit, nec ſecùs ac ſi ſpiritu acido ſulphuris illud corroſum fuerit; quid mirùm ſi inter exeundum loca muliebria moleſtet, vel concumbentis cum menſtruatâ mentulam inflammet ac quaſi excoriet, enatæqúe abindè progeniei humores in primâ conformatione, invertat? vel incidens in vegetabilia, ac permeans cum ſucco nutritio filamenta lignoſa, eadem exedat? unde marceſcant & aridentur, vel incidens in ſpecillum eburve, cujuſque nitorem deſtruendo ſtrictum nativum pororum ordinem, obſcuret. Pari facilitate in alia maleficia excurrere poſſem, niſi prolixiorem me præbere vererer? Longè utiliùs eſt indicia inſtantium menſium aſſignare. Itaque exaltato & in actum adducto, collecto in vaſis purgamine uterino, accidit in fœminis quid febrile, pulſu frequentiori, ſiti aliquantulâ, & calore corporis non naturali indigitatum, de

quibus ſuper actum. Datur inſuper quærela de dolore inferioris abdominis, lumborum & capitis tenſivo & gravativo, de palpitatione cordis, facies ac præſertim orbitæ, livido ac plumbeo colore tinguntur, & hæc tamdiu perſeverant donec ſanguis per muliebria erumpat, quo tempore, prædicta ſimptomata evaneſcunt, aut ſaltem notabiliter minuuntur.

Poſteriorum rationem reddere non dedecet? quia ergo compreſſis uteri venis, ſanguis jam rareſcens, in itinere ſuo impeditur, non poteſt quin continuo novi retrò venientis ſuperaffluxu cumulatus vim faciat in latera venarum impeditarum, pororum interarterialium, & arteriolarum, in quibus hærere cogitur, aliquamve in iis diductionem producat, unde gravativus ſenſus in infimo abdomine emergit: quia inſuper ex legibus continuati motûs ſancitum eſt, omne corpus quod movetur, ſi pergere non poſſit ſecundùm primò inditam determinationem, propter obicem occurrentem, deflectere à viâ, & inire aliam ſecundùm quam motus faciliùs exerceri poteſt: ideò ſanguis arteriarum uteri, ſiquidem per continuas venas preſſas non poſſit refluere ad cor, reflectit protinùs in vicinos lumborum arteriarum ramulos quippè per quos inditum motum faciliùs continuare poſſit, ac proinde cum eatenùs majori

copiâ feratur in lumbares muſculos, eorumdẽ poros plus æquo diſtendet, unde dolor excitandus eſt: rursùs quia excurſus liber in inferiora, non permittitur ſanguini; ille ergo debet regurgitare in ſuperioribus, quare nitendo in membranas canalium capitis, quâ rareſcentia eaſdem diſtrahet, quâ mole in eaſdem ponderat, unde etiam dolor capitis tenſivus & gravativus: & quia regurgitante ſurſum ſanguine, plus illius truditur è dextro cordis ſinu quàm per capillares pulmonum canaliculos trajici poteſt, cogitur in ſe reſilire & contractio cordis interrumpitur, ſeu fit palpitatio; quia denique facies tegitur membranâ tenuiſſimâ: vaſa igitur eàm ſubtercurrentia, copioſiore non poſſunt turgere ſanguine, quin magis ſenſibilia evadant, ſiquidem verò venoſus rubore obſcuriore donatur quàm arterioſus: ſequitur venam ſuper arteriam reptare non poſſe citra faciei livorem, ac præſertim orbitarum in quibus vaſa venoſa magis pellucent.

Hæc menſtrui fluxûs doctrina præceſſiſſe debuit tanquam fundamentum ad perfectam ejuſdem vitiati notitiam ac intelligentiam; ut autem vitiati fluxus menſtrui ſpecies in ordine tractentur quoad cauſas omnes, & alia momenta; illas diſtincto Capite tractare decrevimus, quocirca initium ſumitur ab illâ ſpecie in quâ nullus periodicè apparet

ſanguinis effluxus, & quæ vulgò dicitur Suppreſſio menſium. Sit igitur

CAPUT II.

De Suppreſſione Menſium.

QUò menſtrua prodeant ritéque procedant, ex ſupra memoratis ſequentia requiruntur: Primò, ſuperabundans ſanguis, & correlativè major uterini purgaminis quantitas quàm quæ per glandulas proprias excerni valeat extra menſtruationis periodum generetur. Secundò, ut genita menſtrua ſuperfluitas colligatur & retineatur in vaſis ad debitum excretionis tempus. Tertiò, ut datâ in vaſis ſanguinis ubertate purgamen uterinum correlativè genitum & in vaſis collectum, debito tempore, quid febrile ſeu novam in ſanguine fermentationem inducat. Quartò, ut novâ inductâ fermentatione, idem colatoria ſua reperiat ſecretioni comparata & patula. His omnibus ita progredientibus, probatum eſt ſupra compreſſivam glandularum intumeſcentiam oriri quàm neceſſariò excipit venularum interjectarum propiorum anguſtia, & divulſio, cujus ope ſanguis menſtruus in effluxum cietur. Hinc quotieſcumque de-

ficiet geneſis redundantis ſanguinis & relativè fluidi uterini, vel utcumque ſat genitum non colligetur in vaſis, ſed ante determinatum à naturâ tempus, aliò diſperdetur, quàm per viam naturalem, vel datâ utriuſque in vaſis collectione, quotieſcumque fluidum uterinum certo ac ſtato tempore in actum non adducetur, vel in actum adductum ab opere incepto interturbabitur, vel non interturbatum, ab effluxu inter propria cola, ob eorum impedimentum inhibebitur: liquidò conſtat futurum ut ſuppreſſio effluendi, ſingulis præter propter menſibus, ſanguinis exoriatur.

Materia menſtruorum eſt portio chyli individuali conſervationi ſuperflua. Sicqúe deficit geneſis ſanguinis menſtrui & ſocii purgaminis uterini ſufficiens, ad collectionem deſideratam, ſi chylus deficiat copiâ, vel ſi copia non deficiens in ſanguinis vaſis non remoretur ad uſque in menſtruam materiam elaboratus ſit, ſed priùs foras effundatur, vel foras non effuſus, ſi in alios uſus quàm menſtruationi impendatur, vel in alios uſus non abſumptus, ſi ob ſanguinis in vaſis circumeuntis imbecillam fermentationem, debitè ac ritè elaborari nequeat in menſtruationem. Hæc ita per ſe liquent, ut ultra dilucidari non poſtulent.

Chyli copiam minuunt, tenuior vivendi

ratio, uſus alimentorum pauci nutrimenti, omnes morbi chronici, febres, & alii in quibus inappetentia urget aut ſtrictior inditur dieta.

Chylus utcumque non deficiens in vaſis, foras tamen emanat ante expeditum ſpatium, ſæpiùs per ipſum uterum, fluoris muliebris formâ; rariùs per urinas. Cujuſmodi ſecretionum meminit Sennertus, Salmuthius, & Platerus, qui urinas merè lacteas ſe obſervaſſe referunt. Item per alvum fluidiorem, fonticulos & ubera inveterata: ſic Bartholinus cent. 2. obſ. 87. refert mulierem effluvio ichioris per inveterata ulcera, quibus vexabatur ſuppreſſos habuiſſe menſes, cui ulceribus ſanatis & conſolidatis menſes redierunt: ichioris enim forma per apertos in ulcere cavo, chyliferos ducticulos, ſuccus in ſanguinem menſtruum & purgamen uterinum abeundus, planè deperdebatur, qui curatis ulceribus ab effluxu foras cohibitus, ſanguinem periodicè fluendum ſociúmque purgamen uterinum conſtituit, unde revocati menſes: item per urinas, naturales quidem ſed copioſiores, teſtante Joh. Freind qui cap. 9. ſuæ Emmenol. dicit ſe noviſſe mulierem, cui ex theæ potu, urina nimia profluxerat, menſibus vice propiore immunem.

Chylus in alios uſus quàm menſtruationis abſumitur ſi individuali conſervationi totus

impendatur; non dico in ætate ante pubertatem, in quâ chylus totâ ſuâ copiâ in corporis augmentum impenditur, ſed in nubilibus obæſis ac corpulentis in quibus portio in menſtruationem degeneranda, in pinguedinem & corpulentiam migrat. Unde, Hyppocrate & Galeno monentibus, corpora & gracilia, de quibus ſupra, & obæſa, aut planè menſtruâ evacuatione carent, aut exiguam habent, in quibus etiam irrito conatu, ſtantibus hiſce cauſis in menſtruis alliciendis allaboratur. Item chylus in alios uſus traditur in gravidis, in quibus portio illa quæ in menſtrua converti debet, extra eum ſtatum, in fœtus geſtati nutrimentum & incrementum conſumitur, ut & in lactantibus plæriſque in quibus chylus individuo ſuperfluus, proinqúe in menſtrua mutandus, ſub nomine lactis ad fœtus utero excluſi alimoniam exſugitur. Ob ſanguinis imbecillitatem, chylus individuo ſuperfluus ſeu materia menſtruorum, in ſuum eſſe debitum non immutatur; ſi ſanguis phlegmaticâ, aut pituitosâ intemperie afficiatur: unde cachecticæ menſtruis privari ſolent, exinqúe rectè docente Etmull. cap. de morb. virg. ſuppreſſio menſium eſt potiùs productum cachexiæ, quàm eam producens, quare omnes cauſæ cachexiam efficientes, huc referendæ ſunt; jam ad alias cauſas tranſcendamus.

Sanguis utut abundanter ad appulſum chyli individuo uberioris genitus, cum appendice fluido uterino, non colligetur in vaſis pro menſtruatione, ſi nimiâ agitatione reſolvatur in materiam, putà, tranſpirationis quam reſolutionem præſtant nimia ſaltatio ac quælibet vehementior corporis exercitatio, quæ in vitâ laborioſâ perficitur. Unde experientiâ compertum, agreſtes fœminas ſaltatrices, cantatrices, & laboribus exercitiisqúe valdè deditas menſtruis carere, quatenùs menſtrua ſuperfluitas, validâ muſculorum actione, ita exagitatur, & teritur, ut per habitum corporis reſolvatur. Huc faciunt pariter vigiliæ immodicæ, unde Albertus Magnus lib. 9. de animal. firmat ſe vidiſſe virgines, quæ cùm vigiliis ſe macerarent, non purgabantur: non colligetur pariter menſtrua illuvies ſi intempeſtivâ venæ ſectione educatur (qui error ſæpè ſæpiùs à Medicaſtris & Sciolis committitur) vel hæmorrhagia per anum, nares, &c. aut per vulnus inflictum excitata; Foreſtus obſ. 3. lib. 28. habet hiſtoriam ruſticæ cujuſdam cui copioſo per tonſorem ſanguine ex dextri brachii venâ dum fluerent menſes, extracto, illi ſubitò retracti ſunt, & ſubſtiterunt, & ſemper (mirùm ſanè) cùm periodus rediret, menſtrua purgatio non ſubſequebatur, ſed in brachio eodem tempore palpitationem quamdam, eámque ſatis moleſtam ſentiebat.

Sanguine in vaſis ſuperfluitante, fluidum uterinum pariter collectum, in actum non adducetur, ſi ſerum diluens in ſanguine deſideretur: ſalia enim non agunt niſi ſoluta; ab hâc causâ Foreſtus eodem libro, duo memorat exempla ortæ menſium ſuppreſſionis, primum mulieris annos 28. natæ, cui utcumque bilioſæ, menſtrua purgatio reſtricta erat, ob nimiam ſanguinis ſiccitatem; aliud in viduâ quæ ex mariti obitu, ita tota mœſta & melancholica evaſerat, ut in maniam ferè incideret, adeò ut ſanguis craſſus multus & melancolicus proinq; ſero deſtitutus, in toto corpore abundare cœperit citra menſium effluxum. Inſuper ubi ſanguis lymphico latice orbatur, principia quæque ſalinæ ad eóque etiam purgaminis uterini ſulphureis compedibus ſtrictiùs adhærent & implicantur, quàm ut in libertatem ſeſe exerant, ſiccior autem evadit ſanguis ſi per varias excretiones plus illius abſumatur quàm per ingeſta liquidè reſarciatur. Quod evenit ſicciore vivendi modo, ſummis ac diuturnis animi contentionibus, ac lucubrationibus nocturnis: anima enim ob contemplationem attentam & ſeriam majorémque ſpirituum agitationem nimiùm occupatur circa ſpeciem idæarum quàm ut ſitim utcumque prementem advertere queat, item diureticis incautè fortioribus aſſumptis, &c.

Fluidum uterinum, opus periodicæ fermentationis etiamſi ſuſceperit, haud tamen menſtruationis perſolvet, ſi antequam ſuo modo, intra glandulas uteri ad inferendam venularum compreſſionem pervenerit, inducta per idem nova fermentatio in ſanguine, quoquo modo reprimatur & compeſcatur; ex hypotheſi namque non ſufficit fluido uterino in ſanguinis vaſis congeſto, quid febrile induxiſſe ad menſtruorum opus, ſed inſuper debet in ſuâ actione perſerverare, uſquedum cum quadam ſpumâ ac affluentiâ intra propria cola detrudatur. Quare quicquid adveniente menſtruorum periodo, viſcidam ſanguinis craſim cauſare poteſt, vel inceptam novam fermentationem deprimere, id omne ſuppreſſorũ menſium author dicendum. Illa autem ſunt acida omnia quæ Authore Etmull. in annot. pract. ad inſt. Phyſ. *Menſes naturaliter fluentes ſiſtunt, & fluxuros impediunt quatenus fermentationem ſanguinis ac turgeſcentiam cohibent, deſtruendo ſalia volatilia & coagulando blandè maſſam ſanguineam, immixtosq; humores.* Item potus actu ac potentiâ frigidus, fructuum immaturorum, alimentorum viſcidorum, ac medicaminum aſtringentium, menſésque prohibentium uſurpationes, Galenus lib. de venæſ. in Eraſ. cap. 5. in medio, perhibet fœminas Romæ degentes cùm aquam nive refrigeratam

atam potarent, nihil aut diminutè per menſtruas vacuationes, ſuo tempore purgatas fuiſſe; item ſummus animi mœror, anxietas nimia, terror ſubitaneus, ſuſceptum ex calefacto corpore ocyus frigus. Ab hâc causâ Cl. Deckers exerc. pract. fol. 369. exemplum refert virginis 30. annos natæ, pituitoſæ, quæ poſt inſolitos majores labores ſicque domum per frigidiora aëra rediens, in menſtruorum fluxus ſuppreſſionem incidit: item nudus pedum inceſſus in pavimentum frigidum, Balneatio in aquam frigidã. Joh. Michaël cap. de ſupp. menſ. dicit ex uſu panis calidi virgines & mulieres tempore fluxus menſtrui, graviſſimas obſtructiones & ſuppreſſiones menſium ſibi cauſare poſſe, idqúe dubio procul propter panis calidi tenacem naturam: ab his enim omnibus & aliis id genus infringitur potenter ſanguinis fermentatio, quam excipit ſtatus priori minùs fluxilis ſeu viſciditatis; ex hinc ſeriò monendæ ſunt fœmellæ ut ab his & ſimilibus ſub acceſſum menſtruorum relligioſè caveant, niſi in eorum ſuppreſſionem pravorum ſimptomatum iliadem, incidere ament: Rectè Walſmiedt in ſuis monitis idcircò dicit inſtantibus menſibus, potus frigidus, omnia frigida, & acida, ira, mœror, terror, quovis modo ſunt fugienda.

Poſtremò ſi recrementum uterinum, ad omnia ritè paratum, ob impedimentum

propriorum colatoriorum à ſecretione inhibeatur, vacabit inde compreſſio venularum colatoriis interjectarum, adeòque menſtrui ſanguinis evaſatio: impedimentum autem illud eſt quid obſtruens aut comprimens quid, aut imperforatio colatoriorum uteri; ſed nil poteſt obſtruere colatorium uterinum præter fluidum quod trajicitur, illùdq; ideò debet mutaſſe ſtatum naturalem in viſcidiorem & tenacem cujus ope parietibus organi ſecretorii adhæreſcat & obſtruat: mutatio autem illa in viſciditatem adhæreſcentem, fit, vel ratione ſanguinis à quo ducit ortum, craſſioris & viſcidi, principiata námque redolent naturam principiorum; unde & ad menſium ſuppreſſionem cum ſanguinis viſciditate, unà concurrit colatoriorum uteri obſtructio, vel quia ſanguine alioquin naturaliter ſe habente, uterinum recrementum ſub colatoriis ſuis inſpiſſatur, frigore intra muliebria, incautiùs aſſumpto; humores enim ſanguinis ſe habent quaſi juſculum quod frigori expoſitum, in gelatinam abit, & incraſſatur, item injectione intra uterum ac ſuffitu acidorum auſterorum velut aluminoſorum, quibus ſcortæ ac meretrices, impregnationem arcendi causâ, aut conſtrictionem virgineam affectare amantes, abuti ſolent.

Nil pariter colum uterinum comprimere

ræter partes vicinas in contactum poſitas; empè fibrocarnoſum ac tendineum contexm, cui interſeritur, venulas & arterias proiùs reptantes: quæ omnes partes compreſonem inferre nequeunt, niſi majorem mom nactæ fuerint, quàm quæ illis naturaer debetur. Fibroſus ac tendineus contexs, in majorem molem accreſcere nequit, ſi humorum perviorum collectione, aut aſatione: unde tumores inflammatorii ſcirſi, concretiones lapideæ, &c. ſi in utero roducantur, compreſſionem colatoriis utenis inferre poſſunt, venulæ etiam & areriæ in majorem molem evadere ſeu niium dilatari nequeunt, niſi ratione ſanguiis contenti, nimium vel redundantis, vel refacti & exin latera colatorii uterini in muium contactum adigentes. Suppreſſionem enſium à nimiâ vaſorum plenitudine, viere eſt apud Riverium cent. 1. obſ. 2. & à raeſcentiâ nimiâ, facit ira vehemens, cujus eminit Walſmiedt loco ſupra citato, item ciunt febres, circa periodum menſtruam adenientes, quibus ſedatis, ob ſublatam inde latoriorum uteri compreſſionem, purgaen uterinum in ſua cola affluit, quæ dein rgent, & comprimendo venulas proximios, ſanguinis evaſationi locum præbent; pro refert Lindanus ſe vidiſſe in juvencula æ circa tempus menſtruorum, in febrem

incidens, eorumdem ſuppreſſionem paſſ
fuit, cui tamen celebratâ in brachio vena
ſectione & adhibitis refrigerantibus. ſedat
febrili effervescentiâ, menſtrua fluxerunt.

Oſcula colatoriorum uteri excœcantur vel à primâ conformatione, vel cicatrice poſt ulcus obductâ, & hæc ſufficiunt de cauſis for malibus procatarcticis & evidentibus.

Diagnoſis ſuppreſſionis menſium ex ipſius patientis relatu innoteſcit; quodnam autem erratum aut impedimentum ſit in cauſ cur ſupprimantur? Ex eorum inquiſitione ſe dulâ, quæ priùs memorata ſunt, facilè di ſtinguitur, quo tempore, ſpatii periodo men ſtruæ intermedii, an videlicet in principio f niti prioris fluxus, utrùm in medio, num ſu finem, id erratum commiſſum ſit, ac etiam quotis menſibus fluxus cruentus uterinus de lituerit? Non de nihilo eſt Medico noviſſe tum ad rectè curandum, tùm ad pertinaciam ſuppreſſionis faciliùs æſtimandam, hoc tame adjici juvat, emanſionem menſium ab ob ſtructione aut compreſſione colorum ute citra ſanguinis labem aut imperforation pendentem ſolito purgationis tempore, hoc peculiare habere, quod ſimptomata futuro menſes indicare ſolita recurrant ſine menſiu ſubſequentia. Quandoquidem verò gravid non gravidis, æqualiter ſupprimantur, i gravidis neutiquam debeant revocari, alit

tem in non gravidis, tantáque intercedat
ıptomatum analogia in utroque ſtatu, ut
ſquam ſit tuta fides: ideò etiam Medicus,
ıtus ac perſpicax eſſe debet, in curandâ
nſium ſuppreſſione, ne curet graviditatem
) menſium ſuppreſſione, & menſium ſup-
eſſionem habeat pro graviditate, præſertim
mulieribus graviditatem ex illegitimo
ıcubitu contractam, ſuppreſſorum men-
m larvâ mentiri conantibus: ſic enim in-
rret Medicus in errorem inexcuſabilem,
in diſcrimen famæ: unde ſigna utriuſque
)preſſionis diſtinctiva probè internoſci
ıltùm refert.

Inter plurima quæ ab Authoribus aſſignan-
, principaliora eáque eſſentialia, ad quæ
edicus præprimis junior, uſque attendere
bet, ſunt ſequentia. In gravidis nimirùm,
imis menſibus, certa ſimptomata oriri ſo-
nt, ut appetitus proſtratus, vomitus matu-
ıi, pica, & tandem tuſſis: quæ ſucceſſu tem-
)ris & de die in diem imminuuntur, & ceſ-
ıt pedetentim, ſive in poſterùm non adeò
aviter affligere ſolent; in non gravidis ſup-
eſſa menſtrua ferentibus, eadem quidem
nptomata offenduntur, nullo vel parvo
ſcrimine, ſed contrario eventu: cùm de die
diem graviora evadant, & exacerbentur;
gravidis inſuper motus & ſitus infantis ſen-
)iliter percipitur, tertio ut plurimùm menſe

admotâ ventri inferiori manu, in aliis ſentitur etiam quidem tumor, ſed œdematoſus ac minimè exploranti manui reſiſtens, qui circumſcriptionem non habet ſemper cum utero limitatam, prout fit in gravidis ſub tertium menſem; ſentitur etiam quandoque motus ſed à flatibus in abdomine vel utero fluctuantibus proveniens, & à vero infantis motu diſtinguendus, per borborigmos, flatuum eruptionem, varium hinc inde excurſum ac ponderis defectum; demùm gravidæ hilari ſunt ut plurimùm animo, oculorúmque vigore gaudent: alię è contrà plerumque anguntur, mœrent, languent, & viſum nativo ſplendore ac vigore orbatum referunt.

Quoad prognoſim attinet, ſuppreſſio menſium quæ evenit in gravidis & lactantibus, gracilibus & obæſis, convaleſcentibus, laborioſis & modicè viventibus, ſollicitum non debet facere Medicum, cùm ſit aliquid in illis ſtatibus connaturale & ordinarium: in obæſis tamen plerumque ſterilitatem parit. Ab aliis verò cauſis pendens in multiplices eóſque crebrò graves morbos degenerare ſolet, cephalagiam, epilepſiam, maniam, apoplexiam, pleuritim, tuſſim, febres, arthritides & innumeros alios quos ex Authorum monumentis referre immenſum foret, hinc in magis atque magis verificatur quod in epiſt. de nat. human. Democritus ſcriptum reliquit

ravis calamitas, ſexcentarum ærumnarum ulieri, author uterus.

An verò malum ſit curabile nec ne? Colliendum ex tempore ſuppreſſionis, ex ætate t cauſarum vehementiâ & contumaciâ, ex empore ſuppreſſionis, quò diutiùs menſes bſtiterunt eò difficiliùs revocantur, ut ſæpè evocari unquam nequeant, creſcente in ma;is cauſarum pertinaciâ: quod fulcitur teſtinonio Coi qui in fine 6. Epid. memorat luas mulieres, unam Phaetuſam Pythii uxoem, alteram Namyſiam, Gorgippi uxorem, liuturno tempore citrà menſtruationem exitiſſe, in quibus etſi ipſe Cous cum aliis Colegis omnia tentaſſet, quæcumque fieri poerant, & debebant, nihilominùs menſes unquam rediiſſe & utramque ad plures abiiſſe.

Ex ætate, quia annis creſcentibus, creſcit non rarò menſium revocandorum difficultas, leperditione flexilitatis glandularum prout venarum uteri ad harum diſtentionem compreſſivam, aliarúmque diſruptioni obedientiam requiſitæ.

Demùm ex conſtitutione corporis laudabili vel valetudinariâ? nonnulla ſequuntur ex Hipp. deſumpta, *Menſtruis deficientibus, ſanguis ex naribus profluens, bonum, retentis menſibus laborantes, hæmorrhoides pati, bonum:* quia hæmorrhagia aliò facta ſupplet illi quæ

per uterum ſolemniter fieri debet. Suppreſſio menſium quæ innatam glandularum uteri obturationem, aut factum ex ulcere ſanato coalitum arguit, incurabile malum, ut noteſcit exemplo Tarantani, à Foreſto lib. 28. obſ. 2. in Scholio relato, ob loci profunditatem, cujus ratione, remedia, tollendo callo apta applicare non eſt facile. Cauſis diagnoſi, prognoſi, ita prælibatis, jam ſequitur curationem apponere, quæ cauſarum varietati & ordini accommodabitur; ut enim Medicus in curando felix ſit, debet morbos per cauſas reſpicere.

Quando igitur ſuppreſſio menſium, deficientem copia ſanguinem ſupponit, ut in gracilibus & morbo extenuatis; Medicus ſit cautior illo, qui, dicente Foreſto, libro citato, menſes nitebatur movere in puellâ valdè extenuatâ, cautior etiam illo Scholari noviter practicanti qui referente Gatenariâ, pariter intendebat menſtrua provocare, in alia quoque extenuatâ ex quartanâ quam longo tempore paſſa fuerat, nam ob materiæ defectum, ſi menſtrua nõ advenerint, ut poſt febres diuturnas, magnas evacuationes, & demùm in quibuſcumque macrioribus & extenuatis fruſtrà necnon cum ægrotantis diſcrimine menſtrua provocare, uno practicantium veterum & modernorum conſenſu tentatur, priuſquam morbus à quo attenuatio corporis dependet,

debitè expugnetur, & bono vitæ regimine aliments, putà, analepticis corpus inſtauratum ſit. quibus præſtitis, regenerato copioſiori ſanguine & relative recremento uterino ad congeſtionem in vaſis ut plurimùm ſpontè redeunt, vel facilè in ordinem ſuum reducuntur.

Si menſtrua deficiant quia eorum materia ante ſuam elaborationem, è ſinu ſanguinis effunditur, curatio in eo ſita eſt, ut materia menſtruationi inſervienda, ab effluxu, è ſanguinis vaſis præpediatur, adeò ut ſi effluat muliebris fluoris forma vel ichoris per ulcus, inſiſtendum ſit curationi fluoris muliebris vel ulceris, & ſic de cæteris.

Ubi menſes ſupprimuntur quia materia menſtruorum impinguando corpori conſumitur: juxta Hippocr. & Galen. eorumque aſſeclas, ſtante hâc causâ, irrito conatu in iis alliciendis allaboratur. Cùm tamen ſterilitas eam ſuppreſſionis ſpeciem concomitari aſſolet, longâque annorum ſerie, indefeſſo labore addiſcitur quod Veteres latuit: hinc res haud intentata relinquenda eſt; anceps enim remedium ob infœcunditatis diſcrimen, ſatiùs eſt experiri quàm nullum, eam ob rem, cùm nimiæ obæſitatis eſſentia conſiſtat in temperatâ ſanguinis temperie, ſeu ſulphureâ & oleosâ indole, abſtinentia injungenda eſt ab iis omnibus quæ in pinguedinem facilè

faceſcunt, ut carne bovinâ, porcinâ, vitulinâ, conſummatis, ovis ſorbilibus, pane triticeo; lacticiniis, cerevisiâ novellâ ac vino dulci, &c. utendum potiùs vervecinâ, avibus montanis & aliis ejus generis, quæ ob ſalis acris volatilis prædominium impinguando corpori adverſantur. Item cerevisiâ veteri, vino Moſellano, aut Rhenano, pane ſecalino, cœpis, alliis, aromaticis in condiendo, & aliis, quæ, utcumque nutritionem debitam non ſubſtrahant, ſulphuream ac oleoſam ſanguinis indolem invertendo, nimiæ reſiſtant obæſitati: parcior cibatio contra pinguedinem ſummopere pugnans, nullum hic locum obtinet, prout in viris: quanquam enim veriſſimum ſit, nullam rem minuere majori celeritate & velocitate pinguedinem, quàm ſubſtractionem alimoniæ; interim eâ in fœminis ſubſtractione, tollitur quidem pinguedo, haud verò ad eandem proclivitas, & ſimul quod hîc non expetitur, tollitur materia menſtruorum generationi dicata.

Dum competenti dietæ ſtudetur & adhæretur, auxilia medica contra obæſitatem ſpectantia, non ſunt negligenda, eáque ſunt acria, ſalina, & imprimis amara, quæ ſanguinis ſulphuream texturam incidendo, attenuando & reſolvendo, eam, in acriorem immutare apta ſunt: de iis videantur Etmull. & Dolæus qui de corpulentiâ & obæ-

ſitate præſtanter tractarunt.

Ubiſuppreſſio menſium pendet à cachexiâ, ſiquidem triplex à Medicis accenſetur cachexiæ ſpecies: Prima, pituitoſa, in quâ ſucci crudi, viſcidi in ſanguinis vaſis ſcatent: altera, phlegmatica ſine ſalſedine, in quâ phlegma ſeu latex ſeroſus totam ſanguinis maſſam inundat: tertia, biloſa ſeu phlegmatica cum ſalſedine, pendens à ſolutione ſanguinis: videndum, cuinam ex his tribus appendatur, & ſuam cuique particularem medelam appropriare? Itaque ſi quia ſanguis regurgitante pituitâ opprimitur, indicatio curativa eſt, eandem incidere & attenuare, inciſam & attenuatam expurgare.

Priori ſcopo ſatisfaciunt aperientia & incidentia ab effectu ſic dicta, quæ tenacem ſanguinis ac humorum contextum, proprietate naturæ laxant ac diſſolvunt. Aſt verò quemadmodum ſpiſſius pulmentum, etiamſi per longum tempus, inſtrumento quolibet dividenti, exagitetur; ſuam tamen tenacitatem ac cohæſionem, nullatenùs deponit niſi quid aqueum accedat, cui dimotæ ab invicem particulæ innatent; ita etiam pariformiter aperientia & incidentia, vices inſtrumenti dividentis in vaſis ſanguineis agentia, humidi diluentis conſortium expetunt, ut poſtulata cruditatis viſcidæ ſanguinis emendatio plenè obtineatur. Humidum

enim diluens, inter dimotam unamquanque ſanguinis ejuſque humorum particulam ſeſe ingerendo eum diviſum, fluidiorem præſtabit: idcircò incidentibus diluentia & humectantia aſſocianda ſunt ;. ut ſanguis redundánsque in eo pituita, quo momento à cohæſionis contactu laxantur, eodem in naturalem fluiditatem reſipiſcant & conſerveutur.

Quo tamen incidentia & attenuantia vires ſuas plenè exerant, opus eſt ut priùs prima corporis regio ab omni ſordium illuvie expediatur: quoniam enim præcedanea viſcida chylificatio craſsáque ac cruda ſanguinis intemperies, infarctum præſupponant primarum viarum, de quo ſemper conqueruntur ægrotæ; ut igitur incidentia & attenuantia ad humorum vaſa plenis viribus pertingant, & ſuo modo operentur, patet ſumma neceſſitas, primæ viæ primò expurgentur : vomitus in hunc finem cuivis per inferiora laxanti præferendus eſt, quatenùs unius alteriusve horulæ ſpatio, potentiùs operetur quàm reiterata per anum purgatio, maximè verò conducit, ſi inanis adſit vomendi proclivitas, in mandatis ſemper habendo ut aqua tepida aut potus theæ,ad aliquot libras ſint in promptu, de quo hauſtus largior, nauſeâ veniente & quoties exoneratum fuerit, è veſtigio ſumendus: hoc pacto prævenientur omnia illa ſtomacho ac inteſtinorum tormina, quæ in

avulſione ſaburræ tenacis nec præparatæ, alioquin ægram atrociter cruciant, & vomendi conatus auſpicatius longè procedunt: ubi vomitorio primæ regiones minùs expurgatæ videntur, ſequenti vel altero die quoddam purgans per inferiora exhibere bonum eſt, quo viſcidæ & præparatæ vomitorio ſuperfluitates, feliciter diſturbandæ ſunt; interim ut hic ſcrupulus laboranti ſemper gravis, primis vicibus eximatur, quóddam catarcticum vomitorio & quidem proſpero eventu adjungere ſoleo, quorum conjunctione nidulans in ſtomacho ac inteſtinis cruditas viſcida, partim per inferiora, partim per ſuperiora, citra magnam laborantis moleſtiam, uno ictu eliminantur, prout multoties expertus ſum, in hoc Medicos Gallos imitatus à quibus hanc methodum tutò ac jucundè uſurpatam teſtis fui, nec unum alterius operationem abſorbere uſus & experientia docet, eſto Formula.

Rec. oxiſaccar. vomit. unc. 1. decoct. laxat. unc. 4. m.

Ubi vomitorio nullus datur locus, purgatio per anum ſubſtituenda eſt, ſed lenientibus ne fortioribus adhæreſcens fortiter viſcida cruditas, nimiâ violentiâ, à tunicis avellatur, unde tormenta ventris moleſtiora oriuntur, ne etiam deſideratum jam in ſanguinis vaſis diluens fluidum adhucdum magis exhau-

riatur, unde fieret viſcidæ craſis incrementum, purgabitur infuſione fol. ſennæ & agarico cum additamento ſalis tartari, & ſemine calido, vel aloëticis quibus addentur pariter nonnihil cujuſdam aromatici oleoſi, ut præveniantur tormina ventris, quæ inter purgandum, pituitâ viſcidâ in flatus, operante, laxante, reſolutâ & rarefactâ, oriri ſolent; aromatica enim ſeu ſalia volatilia oleoſa, authore Sylvio Delboë prax. lib. 1. cap. 14. §. 60. quicquid ferè ad ſui curationem, tum flatus ipſi, tum ipſorum materiæ deſiderant, id omne præſtare poſſunt. Infuſionem ex fol. ſenn. & agarico ſuademus cùm purgandæ pituitæ apta ſunt, addito ſale tartari quod reſolvendo potenter pituitam, impedit nè folia ſennæ & agaricus in operando tormina ventris pro more ſuſcitent: Suademus etiam aloëtica ſeu pilulas quarum baſis eſt aloës, quæ ſale ſalſo acri quo pollet inciſioni & attenuationi pituitæ valdoperè comparata eſt, potiſſimùm verò ſi gummatis aſſocietur, quatenùs gummata potenter etiã incidunt, pilulæ illæ ſunt de ammon. Quer. de galbano Sylvii, tartareæ Bontii, quæ tamen habito virium reſpectu commodè acuuntur aliquot granis mercurii dulcis, dagredii, reſinæ jalappæ, troch. alhandal. requiſitas ſupra omnes, purgantis pituitam viſcidam. Proprietates inter cœtera maximè cõplectuntur pilulæ non ſatis

laudandæ quas deſcribit Paulus Barbette in ſua praxi cap. de de ſupp. menſ. En Formula:

Rec. Gum. amm. cum aceto parat. dr. ſ. caſtor. mirrh. rubr. ana. ſcrup. 1. ſal arthemiſ. ſuccin. ana. ſc. ſ. tart. vitriol. gr. 8. extract. catholic. drag. 1. trochiſcor. alhand. gr. 12. ol. menth. gutt. 6. m. doſis a. ſcr. 2. ad dr. 1. in plures vel pauciores pilulas redacta: Non minùs quoque conveniunt ſequentes quas ſubnotat Deckerus eodem loco.

Rec. maſſ. pilul. fœtid. major. drag. 1. gum. ſagap. aceto parati mirrh. optim. ſal. volat. ãmon. ana. dr. ſ. tartar. vitriol. croci optim. ana. gr. 15. extract. rad. gentian. ſabin. ana. ſcr. ſ. extract. hellebor. nigri, ſcr. 1. ol. ſtillat. menth. macis. ana. gutt. 4. harúmq; doſis eadẽ.

Prioribus non inferiores ſunt pilulæ D. Jungken cap. affectus, quæ etiam validè pituitates viſcidas in primis viis reſidentes & ſtagnantes incidunt, inciſas eliminant.

Rec. Extract. hellebor. nigri, ſcr. 1. gumm. ammon. acet. ſolut. & inſpiſſat. dr. 1. mercur. dulc. ſcr. 1. ſ. extract. troch. alhand. gr. 8. mirrhę caſtor. ana. gr. 6. m. f. pil. doſis dr. ſ.

Purgatio ad duas treſve vices, per totidem dies continuos vel alternos utiliter repeti poteſt, ut quod primâ purgatione derelictum eſt vitioſum, viſcidum in primis viis, alterâ penitùs adimatur, adeòque conveniunt etiam apozemata ex incidentibus & catarcticis con-

cinnata; horâ unâ aut alterâ poſt aſſumptum catarcticum propinandum eſt juſculum, vel potus theæ, vel ſimile quid diluens & attenuans, ut purgans medicamentum in intimiores lentorum humorum receſſus faciliùs penetret & inſinuetur.

Ubi verò cruditates illæ abdomen infarcientes tenaciores ſunt, ut vomitoriorum ac catarcticorum vim eludi hariolemur, priùs nonnulla præparantia incidentia, acidúmque in viſcoſitatibus uſque deliteſcens abſorbendi vim habentia, præmittantur.

Rec. Croci martis aperitivi ſcr. ſ. rhabarb. elect. pul. ſcr. 1. flor. ſal. armon. ſuccin. volat. ana.gr.3. ol.macis gut. 1. extract. centaur. min. q. ſat. f. bolus..

Rec. Antimon. martis cachect. ſcr. 1. ſal. tart. ſcr. ſ. diagred. gr. 5. cinnam. ſcr. ſ. extract. chelidon. q. ſ. pro bolo.

Rec. Aloes roſat. pul. gr. 15. ſal. martis ſolub. ſcr. 2. extract. camæd. drach. ſ. ol. aniſi gutt. 1. m. f. bolus.

Primis regionibus debitè purgatis, incidentia & aperientia, ſine remora ac virium imminutione, ad emendandi ſanguinis ejusque humorum loca pervenient, ex eorum genere aptiora ſunt ea, quæ ſale acri aut ſalſo-acri, tum fixo, tum volatili, turgent; item amara & aromata omnia, quorum ſylvam huc referre foret crambem ab aliis centies coctam recoquere

ecoquere, inter metalla his acceſſit, limatu-
a martis, quæ tantam, experientiarum ſe-
ie longa, ſibi laudem acquiſivit, ut penè pro
xtremo habeatur remedio: hæc tamen li-
natura alio longè modo ſuam edit opera-
ionem, quàm alia aperientia: præter enim
im alkalinam quâ acidum viſciditatem uſque
ovens concentrat & abſorbet, interim quâ
nole, quo pondere, glutinoſam ſanguinis
mmiſcuorúmque humorum contexturam,
iffringit & attenuat, (verba quæ ſequuntur,
leprompta ſunt ex tractatu D. Petri Chyrac
profeſſ. Monſp. de incubo cap. 4.) Seu enim
orbenda atque infringenda acida quæque,
præſto ſunt pori quibus terreæ anguloſæve
ejuſdem partes, perviæ ſunt, excipiendis aci-
dis cujuſcumque naturæ apprimè apparati.
Vis glutinoſum & juſtò viſcidiùs fluidum ma-
gis exſolvere? En occurrent tibi eædem ipſæ
terreæ ferri partes anguloſæ & infixis ſpicu-
lis horridæ, quæ ſuſcepto motu carpant diſ-
ſocientque ſtrictiùs adhærentia ſulphurum
ſtamina, quibus præſertim viſciditas, & te-
nacitas glutinoſorum corporum debetur. An
demùm vel ſolis integrantibus ferri molecu-
lis ſpretâ interiori ejuſdem contexturâ viſci-
ditatem nimiam fluidorum emendare & flu-
xilitatem nativam reſtituere tentabis? Opus
illæ non recuſabunt optatum; ſi modò enim
motus acceſſerit, idem prorsùs à moleculis

integrantibus, aut minutioribus ferri partibus tenaciori fluido permixtis, exſpectandum quod à granulis pombleis ovorum albumini confuſis. Quemadmodum enim illa ob inditum motum, majori quantitate ſuſceptum, agitatione multiplici, ita vario atque recurſu, pondere ac ſoliditate innatis, ſulphurea albuminis ſtamina, divellunt vertuntque in fluxile omninò corpus; ſimiliter & pari mechanicâ ferri granula ſanguini aliisvè fluidis viſcidioribus admixta parem fluiditatem accerſitura ſunt. Huc uſque doctiſſimus Chyrac: & idcircò, dum martiales particulæ in ſanguinis vaſis operantur, pulſus ſolito concitatior, & validior cum intenſione caloris totius corporis percipitur.

Ut autem laudatos in noſtro corpore ferrum præſtet effectus, illud in minimas & penè atomas redigendum eſt moleculas, quamvis enim ejuſdem limatura deglutita, acidas cruditates primarum regionum obtundere & glutinoſam illuviem diſſolvere apta ſit; interim præ mole & gravitate nimiâ, vix ſubire poterit & ſuperare oſtia lactearum per quæ ſola via patet ſanguini commiſcendis. Undè vix aliquid notabile præſtitura eſt limatura in maſſa ſanguinis. Quo igitur in ſalutare cedat medicamentum abripiatque ac corrigat acorem fixum cùm in primis viis, tum in ſanguine hoſpitantem,

natura ferri aperienda eſt, & in minimas
oleculas reſolvenda. Præparationes martia-
s, monente non ſemel Etmullero, acidis
xioribus fixis, putà? aquis ſtigiis, ſpiritu
ılphuris, nitri, vitrioli, ſalis, & aliis id
enus, non conficiendæ ſunt: Quia (infit Au-
ıor) ſaturatus mars acidis fortioribus, in-
ır ſcoriarum tantùm in corpore jacet ſine
fectu: quod tamen veritatem tantùm aſſe-
ıitur reſpectivè ad deſtructam vim quâ
ars comburendis acidis aptus eſt; nam cer-
ım eſt tantùm detrahi marti de virtute ab-
ırptivâ & concentrativâ acidorum quantum
ſi eorumdem adjicitur & adhæret: quæ
hilominùs qualitas, quantùm fieri poteſt,
artialibus moleculis conſervanda, cùm in-
e promptiùs optatum præſtent effectum,
fficiántque excipiendis acidis ventriculi &
nguinis partibus; non verò quoad molecu-
rum martialium ſoliditatem ac gravitatem,
rùm videtur, quâ, eo quo priùs dictum eſt
odo dum percurrunt ſtrictum & adhæren-
m ſanguinis & ejus humorum compagem,
m diſrumpunt, attenuant, & liquant.

Aperientia multiplici exhiberi poſſunt for-
a, humida & ſicca pulverum, pilularum,
nditorum, tabellarum, potionum, apozema-
m, infuſorum, & quacumque alia, prout
grotanti magis arridet: in præſcribendis
im medicamentorũ formulis, fœmellarum

conſideratio habenda eſt; quæ in iis aſſumen-
dis ex natura ſunt difficiles & moroſæ: qua-
re fœmellarum guſtui & delectui Medicus ſu
recepta debet accommodare.

Cereviſia vel vinum medicatum & per va-
rias plantarum variarum partes aromaticas
paratum aliis formulis præferendum videtur
& vinum quidem cæreviſiæ; cùm vehiculum
ſit ex natura diluens ſimul & attenuans, de-
preſſámque ſanguinis ebullitionem exſuſci-
tet; ſed quotidie tum inter prandendum, cœ-
nandúmque, tum aliàs mediocri quantitate
uſurpandum. Hæc eſto formula Deckeri i
Barbette cap. de ſupp. menſ. quo vino felic-
ter uſum ſe perhibet.

Rec. Rad. imperat. diptam. albi ana. unc.
acori unc. ſ. fol. arthemiſ. puleg. calamenth
montan. ana. m. ſ. ſabin. miſ. ſem. dauci. ſeſe-
leos ana unc. ſ. baccar. juniper. unc. 2. cinnam
cortic. citri & aurant. ana. dr. 2. m.

Inciſa & groſſo modo contuſa infuantur
ſacculo oblongo, imponantúrque vaſi vitreo
aut lapideo, anguſtioris orificii, mox affun-
datur vinum generoſum, nimirùm gallicum
ad pintulas tres, maneántque in cella per no-
ctem: quo tempore vis aromatica communi-
cabitur vino, cujus hauſtus prout dictum plu-
ries in die propinabitur. Mediâ portione vini
ebibitâ, vinum novum ad ebibiti locum pari
quantitate affundetur, & ſic vis omnis aro-

atica extrahetur, ac dein infuſio renovatur. Præcitatus Author vinum ſuum aſſuendum præcipit bis tantùm in die, inſtilla-; aliquot guttulis ſpiritus ſal. armon. quo s aromatica multum acuitur, loco illius bſtitui poteſt ſpiritus ſal. armon. aromatitus deſcriptionis ejuſdem Deckeri in ſuis ercit. pract. vel ſpir. ſal. vol. oleoſ. Sylvii, nctura etiam tartari ſimplex vel oniſcis imrægnata, tinctura antimonii ex ſcoriis, helontiana ſuccini, martis aperitiva Mynſicht. c. interdiu tamen pluries hauſtus ſumi poſt ſine ſocio ſpiritu vel tinctura.

Si cui tamen ob rem domus anguſtam vi- uti non liceat; tunc vini loco prædictis omaticis vel aliis ſimilibus affundetur cereiſia potens, benè depurata ac lupulata; obervandum verò ſatius eſſe, ſingulo veſperi ntum affundere aromaticis cereviſiæ quanm ſequenti die bibendum, donec vis aroatica penè omnis ſit exhauſta; quia cerevia facilè vappeſcit, niſi utri includatur, quo aſu congii duo tres aut plures cereviſiæ meicinalis parari poſſunt, & dolio claudi, adendo plantarum partes copiâ majori.

Si alvus minùs reſpondeat; elixir proprieatis S. A. vel tinct. ſalutis, vel ſacra ad guttuas 40. & plures hauſtui medicato bis in die inillabitur, vel infuſioni intermiſcebuntur, onnulla purgantia quibus alvus muneris

oblita ſollicitabitur, & attenuata pituita leniter præcipitabitur. Hoc momentum perſolvitur vino ſequenti, quo Deckerus in notis ad Barbette felici cum ſucceſſu uſus eſt in hoc caſu in virgine ſcilicet cachexiâ pituitosâ cum ſuppreſſione menſium laborante.

Rec. Rad. ariſtoloch. rotund. galang. rubię tinct. ering. ana. dr. 3. hellebor. nigr. unc. jalapp. unc. ſ. fol. puleg. ſabin. calamenth. montan. ana. m. 1. baccar. juniper. laur. ana. unc. ſ. ſem. leviſtic. fœnicul. cinnam. acut. ana. dr. 2. trochiſc. alhand. dr. 1. caryophill. dr. ſ. tart. crudi (malim) ſal. tart. dr. 1. conciſa & contuſa inſuantur ſacculo & affundantur vini gallici pintulæ quatuor.

Loco vini vel cereviſiæ medicatæ benigniter alvum pigram ducentis haberi poſſunt in uſu quotidiano vel alterno die, pilulæ de ammon. Quer. tartar. Bontii, aloephang. de hiera. cum agarico, maſtichinæ Ruffi, vel ſequentes quas notat Timæus in ſuis epiſt. fol. 608. ad ſcr. vel drag. ſ. mediâ horâ ante frugalem cœnam.

Rec. Aloes roſat. dr. ſ. rhabarb. dr. 1. ſ. ſuccin. alb. ppt. dr. ſ. mirrhæ rubr. ſolut. in vino, ſcr. 1. extract. calam. aromat. ſcr. ſ. & cum aq. cinnam. f. pilulæ.

Si cui lubeat medicatis infuſionibus non uti, ſequentia ſolida forma pulveris pilularum conditi, venient in uſum.

Rec. Sal. arthemiſ. fraxini, ſuccini ana. gr. 12. tart. vitriolat. gr. 6. pro una doſi ſingulis diebus aſſumenda in juſculo vel vino vel cerevifia jejuno ſtomacho, mane: eſt pulvis D. Barbette quem cap. de ſuppr. menſ. meritò dicit ſummæ eſſe efficaciæ.

Vel Rec. conſ. flor. Cariophill. menth. criſp. ana. un. 2. rad. calam. arom. cort. citri condit. ana. un. ſ. pul. diaron. Q. drag. ſ. extract. camedic. trifol. fibrin. chelidon. major. ana. dr. 2. ol. cinnam. gutt. 3. m. f. conditum, de quo horis medicis ad magnitudinem nucis moſchatæ ſumetur; ſuperbibendo hauſtulum vini vel cereviſiæ, & horulâ unâ poſt elapsâ alterum, ut quod conditi in ſtomacho ſupereſt, non diluti & ſoluti, diluatur & ſolvatur, ſicqúe in ſanguinem tranſducatur, & exin devitabitur quærela, quam muliérculæ facere ſolent de perceptione caloris ac ardoris in ſtomacho ab aſſumptis ejuſmodi conditis, & cujus ratione ulteriorem conditi uſum præſtare recuſant.

Aſſumpto etiam aperiente & incidente leni deambulatione utendum: hâc námque ratione humores liquidiores redduntur, incidentia citiùs per corporis vaſa propelluntur, ſicque humorum viſcidorum liquatio acceleratur. Martialia vel ſola, vel aliis aperientibus vegetabilibus juncta ac maritata, ſub varia etiam facie, nimirùm pulveris extracti, con-

diti, vel infuſionis, tanquam anchora ſalutis, ab omnibus practicis deprædicantur, & in hoc pituitoſo temperamento cōvenientiora ſunt, flores ſalis armoniaci martiales, antimonium martiale cachecticum Ludovici, crocus martis cum rore maïali paratus, vel cum ſale abſynthi juxta Hartman. Pulvis cachecticus Querc. Hartman, & Timæi: ſed crocus martis horum pulverum baſis, non acidis fortioribus, ſed nitro aëreo volatili, quo turget ros majalis confici debet, ob ſupra memoratas rationes. Pulvis Hartmanni talis eſt.

Rec. Chalybis ppti. p. 1. caſſ. lign. p. 2. ſacchar. albiſſ. p. 4. m. f. pul.

Modus quo Author chalybem præparat eſt hic nec inelegans. chalybs in bracteas tuſas tantiſper, tunditur ſuper incudem donec prorsùs in ſcorias abeat, poſtea ſubtiliter pulveratur ad uſum.

Pulvis Timæi talis eſt:

Rec. Chalybis ppti. un. 2. rad. aronis un. 1. cinnam. acuti unc. ſ. ol. cinnam. aſperſi ut probè miſceatur ſcr. 1. ſacchar. tubulat. roſat. ad pondus omnium, doſis horum pulverum à dr. 1. ſcr. 4. vel dr. 1 ſ. in vino aut cereviſia per 15. dies mane.

Electuarium chalybeatum Le Mortii laudandæ ac felicis habeo uſuræ.

Rec. croci martis aperitivi ſeu rore majali parati unc. 4. cremor. tart. unc. 4. cinnam.

cuti macis ana. drag. 6. rhabarb. cort. exte-
ior aurant. cyper. rotund. odor. ana. drag. 2.
galang. minor. dr. 1. ſ. mell deſpumat. unc. 8.
acchar. albiſſimi unc. 13. m. f. ſ. A. elect. cui
dde aq. vitæ ex uterinis & carminativis con-
latæ q. ſ. ſervetur ad uſum in vaſe clauſo, doſis
drag. 1. ſ. ad dr. 3.

Extractum aut tinctura ſpiſſior. martis, aci-
dis benignis, ut ſucco citri, cydoniorum, au-
antiarum, pomorum Bordorffanorum, ace-
toſellæ ſolutione, tartari crudi & ſimilibus,
paratum. Suam quoque laudem meretur, item
vinum chalibeatum D. Lemeri in pharma-
cop. & ſequens quod habet Michaël in appa-
ratu medicamentorum.

Rec. Eſſent. (intellig. extract.) martis Myn-
ſicht. unc. 1. caſſiæ ligneæ dr. 2. cinnam. acuti
dr. 1. ſ. antophyllor. dr. 1. ſtent hęc infuſa in vini
malvatici, lb. 3. in loco calido per triduum, per
intervalla agitando, poſtea coletur, & cola-
tum ad uſum ſervetur, doſis ab unc. 3. ad 4. & 5.
bis in die mane & quarta pomeridiana, ſuper-
ambulando per horam: quod punctum in uſu
martialium, ab omnibus Practicis non negli-
gendum inculcatur; motu enim & exercitio
corporis moderato, fit ut aſſumptus intrò ſub
quâcumque forma chalybs, è ſtomacho in la-
cteas ac ſanguinis vaſa, transferatur.

Horum autem & aliorum ejuſmodi uſus, ad
12. aut 15. dies imò ad menſem & amplius pro

intemperiei contumacia continuari poteſt.

Mitiùs aliquod purgans pituitam intermedio incidentium & aperientium uſu, ſingulis, puta, octo, decem, aut duodecim diebus exhibendum ut quod concoctum eſt (cum antiquis loquor ſeu recentioribus) quod fluidum factum eſt evacuetur: convenit námque apud omnes Practicos veteres & modernos, in morbis ex craſſis humoribus natis perfectam & integram, quæ requiritur purgationem, ſemel inſtitui non poſſe ſed per vices humores concoquere & evacuare oportere. Et primò utrumq; mitioribus faciendum; hinc ad fortiora tranſcendendum; nam humores viſcidi fluidiores redditi, facile ſunt purgabiles, à quorum ſuperpondio liberatus ſanguinis, vegetiori fermentationis motu gaudet, & fermentum rectè elaboratum, ventriculo ſuppeditat: reſtituitur proindè laudabilis chylificatio & ſanguificatio, unde recrementum uterinum ſufficiens prout ſanguis ſuperfluus regeneratur & redeunt menſtrua, cum ſalubri totius corporis habitudine.

Purgatio aperientium & incidentium uſum interſecans, inſtituitur optimè his pilulis Barbette cap. de ſupp. menſ.

Rec. Maſſ. pilul. aloephang. major. ſcr. 1. ſal. ſuccini armon. vol. ana. gr. 4. reſin. jalapp. gr. 7. ol. macis gutt. 1. m. f. pilul. num. 6. ad uſum.

In fine uſus aperientium & incidentium; ubi pituita fluida facta eſt; inſtitui quoque poteſt ac plerumque debet ſolemnis evacuatio per apozema incidens & purgans, ut ſanguis penitius repurgetur à gravamine: ſique, his nonobſtantibus, ſanguinem nondum in naturalem habitum omninò rediviſſe harioletur, ſed iterùm in ipſo pituitam ſuperfluitare. Ea jam fluidior in curæ perfectionem diſcutienda, decocto lignorum, ſuppreſſio menſium pendens à phlegmaticâ intemperie, purâ ac ſimplici ſine ſalſedine & acrimoniâ manifeſtâ, ſeu à cachexiâ phlegmaticâ, indicat phlegmatis redundantis diſcuſſionem, & recollectionis impedimentum: nam non ſatis eſt Medico, quod redundans eſt evacuare, ſed ne quid ſimile denuò reproducatur, curandum eſt.

Viæ evacuando phlegmati magis naturales, adeóque magis aptæ & commodæ ſunt renes, & pori miliares cutis: quare omnia diuretica ac ſudorifera apprimè conferunt: inter quæ uſu & experientiâ docemur eminere decoctum lignorum additis nonnullis aromaticis, exempli loco ſit decoctum quod habet Sylvius Delboë. cap. de purg. menſt. læſa ab hâc causâ.

Rec. Rad. apii leviſt. ana. unc. ſ. raſur. ligni guaiac. un. ℥. ſaſſafras. un. ſ. baccar. junip. unc. ℥. lauri, un. ſ. herb. ſcord. puleg. ana.

m. 1. ſummit. centaur. minor. m. ſ. ſem. milii unc. 2. coq. ex aqu. purâ vaſe clauſo & lento igne ad un. 30. colat. adde. ſyr. de arthemiſ. Card. bened. ana. un. 1. ſ. tinct. cinnam. & caſtor. ana. un. ſ. ol. ſuccin. gutt. 8. m.

Hujus apozematis hauſtum calentem aſſumat ægra ſummo mane, atque ſtragulis commodè tecta, ſudorem expectet; quin poſt horulam, ſi ſudor necdum prodeat, aſſumpto juſculo illum promoveat, idque ad plures dies repetat.

In cachexia bilioſa, in quâ ſerum ſalſum redundat cum ſuppreſſis menſtruis, opus eſt diuretica & ſudorifera ſint magis temperatæ naturæ, validioribus ſiquidem efferaretur morbus; ideò præſtat uti decocto rad. chinæ & ſalſæparillæ additis rad. cichor. petroſelin. fœnicul. tarax. fol. capill. vener. ſcolopendr. heder. terreſtr. fumeter. &c. ſem. cuſcut. violarum, &c.

Quò tamen ejuſmodi decocta indelibata & plenis viribus, ad ſanguinem uſque penetrent; priùs primæ viæ purificandæ ſunt medicamento laxante, quod erit ex hydragogis & phlegmagogis compoſitum, ut una quaſi fidelia duo dealbentur parietes, infarciens nimirùm primas vias, viſcida ſaburra educatur, & luxurians in ſanguine phlegma minuatur, nova humoris peccantis regeneratio & accumulatio prævenietur, habitâ

rerum ſex non naturalium rectâ conſideratione, ideòq; aër eligetur non humidus, paluſtris, ac minimè perflatus, qualis cum nulli ſalubris; ita ſanguine depreſſo laborantibus infeſtus exiſtit, ſed ſerenus ac mitis ſole ac vento moderatè gaudens, qualis uti cunctis ſalubris. Ita debili fermentatione ſanguinis detentis amicus, deprehenditur. Cibi ſint facilis concoctionis & boni ſucci, ut fermento ventriculi, debilitatem ſanguinis plectente, adeóque parùm vigoroſo faciliùs ſubigi poſſint, & nullo modo cacochymiam foveant, qualitate ſint peccanti ſanguinis diacriſi contrarii, adeóque omnes vim moderatè calefaciendi ſeu attenuandi obtineant; qui ideò condientur petroſelino, ſatureia, majorana, ſalvia, roremarino, ſerpillo, thymo; & aromaticis. Panis ſit benè fermentatus, qui eo ſalubrior, ſi ſemine aniſi, carui fœniculi, &c. condiatur: cerviſia ſit bene depurata & lupulata: lupulus enim valdè incidit & attenuat, aut vinum potetur ſeu rhenanum ſeu gallicum: nam Sennerto dicente cap. de ſupp. menſ. obſervatur fœminas, quæ ſeſe aquâ frigidâ, fructibus immaturis, oleribus, & ſimilibus cibis, humores crudos generantibus, ingurgitarunt, ſolâ victûs ratione, in meliorem mutatâ, etiam ferè ſine medicamentis ſanitati reſtitutas eſſe. E contrà vitentur omnia cruda & humida olera, fructus fugaces,

piſces molles & paluſtres, lacticinia, legumina, pinguia, dulcia, acida, ſalſa, fumo indurata. Somno utatur fœmina moderato, vigiliæ ſint cum exercitio? triſtes ac meticuloſi affectus vitentur? alvus officio reſpõdeat. Sennertus, Riverius, & alii graviſſimi authores, circa conſuetam menſtruorum periodum ea in fluxum allicere tentandum volunt per miſſionem ſanguinis in pede, aut variis ejus cucurbitulis coxis & ſuris applicitis, & ſcarificatis, inſtitutam: ſed ad id ſunt quædam priùs ſedulò perpendenda, quibus ſeriò auſcultare debet Medicus, ſi fructum priorum auxiliorum conſervare & legere velit: videndum enim videtur, an ſanguis in naturalem ſtatum ſit reſtitutus, an reſtitutus in naturalẽ ſtatũ ſuperfluitet in vaſis; demùm his ita habitis, an nulla appareant futuræ menſtruationis indicia? niſi enim ſanguis à cruditatis ſtatu cõvaluerit & ſuperabundans in fluxum ordinarium non prædiſponi appareat; non tentanda menſium revocatio, per venæ apertionem, multa bona per experientiam ſuadent Authores, quæ deficiente practicantis judiciosâ interpretatione, in patientis læſionem ac noxam cedunt. Verùm enim verò, ponatur ſanguinem â cruditatis ſtatu necdum convaluiſſe? ratio vetat dicere appellente conſueto menſium tempore, eos quoquo modo eſſe revocandos miſſione ſanguinis,

non parva huic ſcopo incongruitas anne-
ctitur: ſi enim ſanguis, artis miniſterio mit-
tatur, is qui ſupereſt in vaſis, in motu fer-
mentationis jam depreſſus, in magis depri-
metur, & eveniet quid ſuſcepto ſcopo planè
oppoſitum, ſcilicet menſium fluxus in diu-
tius tempus retardatio, cum ſanguinis intem-
periei incremento.

Ponatur jam ſanguinem in naturalem ſta-
bitum remigraſſe, haud verò ſuperfluitare
in vaſis? Quid iterùm opus eſt mittere ſan-
guinem per venam in pede aut vicarias plures
minimas, ad movenda menſtrua? Menſtrua-
tio enim in eum finem dumtaxat inſtituta vi-
detur, non ut neceſſaria individuo muliebri
ſanguinis quantitas minuatur, ſed ut mulier
extra geſtationis & lactationis opus poſita, à
ſuperfluo levetur, niſi ſanè pletora concur-
rat, plus detrimenti quàm emolumenti adfe-
ret venæ ſectio, quippe quæ minuendo ſan-
guinem laudabilem, copia non excedentem,
mulieres tantùm debilitat, neutiquam deſi-
deratum fluxum reſtituit.

Ponamus demùm ſanguinis maſſam rectè
reſtitutam, & ſupereſſe in vaſis, & tempore
ſuo menſes erumpere ſolent, ſigna adeſſe
eorumdem fluendorum? Si vena tum tempo-
ris in pede tundatur, aut vicaria fiat cucurbi-
tularum ſcarificatio, affluet quidem copioſior
ſanguis ad uterum: ſed anne periculum eſt,

ne ſanguine copioſiore jamque ſolito magi
rarefacto, & uberiùs ad uterum accurrent
comprimantur cola uteri: unde inhibeb
tur recrementum uterinum collectum ab in
greſſu intra ipſa, menſes proindè ſpontè alic
quin erupturi non erumpent. Rebus rit
rectèque euntibus, auxilia aliàs ſalubria, in
ſalubria redduntur, rurſum antiquum e
axioma & in perpetuum per experientian
confirmandum, naturam non rectè operan
tem, ſtimulandam & ad officium ſuum revo
candam; rectè verò operantem, ſibi ipſi re
liquendam. Ex his igitur planum eſt miſſio
nem ſanguinis per venæ ſectionem in ped
aut vicarias ſcarificationes, redeunte conſue
to menſium tempore, minimè celebrandam
niſi maſſa ſanguinea in ſtatum naturalem re
ſtituta ſit, & ſuperfluat in vaſis, abſintqu
futuræ menſtruationis indicia: quibus ſtanti
bus antequam venæ ſectio ineatur; ea exhi
benda veniunt, quæ torpens recrementu
uterinum in ſanguine collectum in actum ex
ſuſcitent: illud enim in actum exſuſcitatum
ſi pro menſtruationis opera ſpecificis ad ute
rum, non ſufficienter deferatur, venæ ſe
ctione advocandum erit, ſi menſtruus ſan
guis non effluat debita periodo, quia vehe
menti exercitio facta eſt reſolutio in materian
tranſpirationis, præſcribenda eſt in poſte
rùm abſtinentia à tali corporis motione, &
vita

ita magis quieta conſulenda.

Si quia per intempeſtivam venæ ſectionem nguis qui per uterum ſuo tempore fluere debat, miſſus eſt; nihil moliendum ad uſque ovam periodum: quâ adveniente, ſi dignoſatur nullum futurum ex utero ſanguinis efuvium; liberè ac tutò tundetur vena in inferioribus ad imitationem Foreſti qui venæ ſeione in pede poſterâ periodo revocavit in ıſticâ, cui ſuprà diximus ob intempeſtivam enæ ſectionem in brachio menſtrua retenta ıerant. Nihil dico moliendum, modò celerata incautè venæ ſectio, aut alia oborta quębet hæmorragia non trahat poſt ſè gravia ymptomata.

In ſuppreſſione menſium quæ pendet ex o quod recrementum uterinum aliàs in vaſis tis collectum, menſtrualem fermentatioem non moveat, quia ſerum quo ad agenum indiget, in ſanguine deſideratur: videnum ſtatim an craſſities ſanguinis ſit cum vel ne acrimoniâ? Si cum acrimoniâ, docet nos ennertus capite proprio quid faciendum icendo *menſes ex aduſtione ſuppreſſos, hoc culiare habere in curatione, quod non calecientia ſed refrigerantia & humectantia reuirant*. Quia verò plenitudo vitioſam qualitem aſſociat, phlebotomia inſtituenda ſed ırcior, quæ non modò in refrigerium & ntilationem ſanguinis conducet, ſed quo-

que faciet ut diluentia in univerſam maſſam eò faciliùs ſeſe expandendo, luxurientia molis majoris ſalia in minima redigantur, attemperentur, in fluorem veniant, ipſeque ſanguis pro expetito fluidior reddatur.

Humectantia illa & refrigerantia, ſunt omnes, plantæ ſucculentæ, ut endivia ſcariola, cichorium, taraxacũ, &c. in hoc ſi ullo unquã caſu, aqua fontis Saveniritii propè Spadanos, ad 12. aut 15. dies epota, multùm confert, aliiſque ejuſdem loci prævalet: quia mineralium minùs continendo, ſine turbâ & agitatione, ſanguinem diluit & elavat à ſuperſpondio ſalium per urinas. Item uſus ſeri lactis aut ſimplicis aut tamarindis aliisvè ejus generis alterati. Horum tamen uſus intermiſceri debet purgatione ex mitioribus catarcticis, quæ nec inſtitui debet, quin priùs deficiens ſerum ſanguini adjectum fuerit: & eò magis conducet, quod hoſpitans in primis viis nidoroſitas eliminabitur.

Victus medicamentis reſpondere debet; juſcula crebro erunt in uſu, quæ longè meliora futura ſunt, ſi lactuca, endivia, &c. alterentur: vitetur aër calidior, vitentur omnia aromata, aliáque calefacientia; ſalita omnia angue pejus fugienda ſunt: paſſiones quoque animi, quæ ſanguinem exagitant, prout vigiliæ immodicæ vitentur. His ita peractis, ſi menſtrua ſuo tempore in fluxum

on veniant, ea quæ menſtrua in fluxum cient
e quibus infrà, inſtituenda ſunt.

E contra ſi craſſities ſanguinis ſociam non
abeat acrimoniam, ſed mire ſimplex &. nu-
a ſit, ſcilicet diluenti ſero ſpoliatus ſit ſan-
uis; ſcopus curandi eſt ſanguinem mobilio-
em & fluidiorem efficere humectantibus ſi-
ul & incidentibus. Poſteriora ſeligenda
nt mitia, quæ ſine valida commotione ſan-
uinis craſſi texturam referent, & diluen-
bus immiſceant; talia ſunt rad. tarax. ci-
ıor. polipod. Querni, petroſelin. fœnicul.
ingii, ireos florent. filicis, rubiæ tinctor.
ort. tamariſc. cappar. &c. fol. capill. vener
grimon. ſcolopend. betonic. meliſſ. naſturt.
ecabung. aquat. &c. ex quibus variæ fiunt
æparationes, quibus accedunt etiam mar-
alia, & ubi adeſt ſumendarum aquarum ſpa-
narum tempeſtas, earum potatio omnem
plet paginā. Ductio etiam ſanguinis è venâ
nducit; ſed tanta modo quanta opus eſt ad
ncedendum in vaſis diluentibus & inciden-
ous ſpatium. Victus medicamentis conſpi-
bit, adeóque humectans erit & aperiens,
vebitur ab omnibus viſcidis & craſſis ac ter-
is, tum cibis tum potulentis, & vitâ mœſtâ,
deſide, & ab omnibus acidis.

In his binis ſanguinis craſſioris conſtitu-
nibus, plerique è modernis curationem
udere ſolent purgatione, præcipuè ac

notatim in uſu aquarum mineralium: ſed cum eorum Medicorum bonâ gratiâ dixero, purgationem illam finalem, plus detrimenti quàm emolumenti ægræ adjicere, ratio eſt, quia reſtitutum ſanguini diluens fluidum, inde ſubſtrahitur: ex quo redit ſanguini priſtina craſſities, & prioribus factum, infectũ redditur: ſanguine fluiditatem naturalem adepto, ſi menſes ſuo tempore non fluant, in fluxum ducendi erunt ſpecificis operationibus ac auxilis, de quibus infra peculiariter agetur: quando menſes ſupprimuntur, quia fermentum uterinum in ſanguine deliteſcens, ſuum munus, debito tempore non obit, concedenda ſunt ſpecifica uterina, quæ ipſum in actum deducant, de iis paulò infra agetur.

Quando menſes ſupprimuntur, quia incepta per ipſum fermentatio menſtrua ſubitò reprimitur & extinguitur; adnaſcitur plerumque major vel minor ſanguinis coagulatio, pro cauſæ vehementia: idcircò ſi ob frigus incautè ſuſceptum, aſſumptum actu ac potentiâ potum frigidum, ingeſta acida, &c. Auxilia medicamentoſa duplicem requirunt mixtam qualitatem, nimirùm reſolutivam & uterinam, ut reduci in naturalem fluiditatem ſanguine immiſcuóque humore, recrementum uterinum in vaſis collectum, menſtruationis opus aggrediatur, his proprietatibus

ollet decoct. flor: camomill. quo Foreſtus &
lii in hoc caſu feliciter uſi ſunt, item ſalia
olatilia inter quæ Sylvius Delboë commen•
at ſp. ſal. arm. cujus unius ope, plures ex
romptâ ſanguinis congelatione, menſtruari
eficientes, exhibendo illius doſim bis tervè
ı die ex vino, brevi ac commodiſſimè ſe re•
ituiſſe teſtatur. Item ſp. ſal. vol. oleoſ. ejuſ•
em, ſp. ſal. armon. aromatizatus Deckeri, pul.
x antim. diaph. ſperm. ceti & caſtore pul.
tiam ex cinnabari antimon. vel nativo, ocul.
ancr. mirrh. & croc. compoſitus: pulvis hic
: mixtura non ſemel mihi ſucceſſerunt.

Rec. pul. chel. cancr. comp. coccinel.
ıirrh. ana. drag. ſ. ſem. nigell. drag. 1.
l. ruth. gutt. 3. m. f. pul. in 3. doſes, una ſu-
ıatur veſperi ſub ingreſſum lecti, ex hauſtu
ni vel cereviſiâ calidâ, altera mane, & tertia
erùm veſperi.

Rec. Aq. puleg. major. ana. un. 1. ſ. aq. flor.
amomill. tanac. cum vino deſtill. aq. hy•
er. ana. un. ſ. elix uterini D. Jungken dr. 1. ſ,
ıtim. diaph. dr. 1. ſyr. de arthem. & fl. calend.
na. un. ſ. f. mixt. cujus coclear unum ac al•
erum ægra in lecto recumbens, identidem
ıgeret, expectando levem ſudorem. Sunt
tiam quæ croc. & macerem ex vino calefa-
to, utiliter inſumunt. Hic bolus non minoris
ſt virtutis.

Rec. Theriac. andr. dr. 1. ſal. armon. &

ſuccin.vol. ana. gr.6. bezoard. or. mirrh. croc ana. gr. 5. ol. ſtill. fl. camomill. gutt. 2. rob ſamb. q. ſ. f. bolus.

Si his vel ejuſmodi menſtrua non procedant, ſignum eſt fermentum uterinum, in ſulphureis ſtaminibus altiùs adhuc quieſcere, è quibus evigilandum, aromaticis uterinis ut rad. angel. gentian. ariſtol. rot. læviſt. fol. ruth. mentaſt. matricar. thymi, flor. tanac. bacc. laur. junip. cort. aurant. Vinteran. conciſ & contuſ. & in vino infuſis, de quo ter in die un.4. ſumentur horis medicis inſtillat. ſingulæ doſi ſp. ſal. armon. gutt. aliquot præparato ita ſanguine, immiſcuóque humore, menſibus necdum prodeuntibus, purgandum eſt per hydragoga, docente Sylvio Delboë. lib. 2. de meth. med. cap. 17. ubi ſcribit, *Quoties non tantùm humores glutinoſi obſtructiones, parientes, in corpore abundant, verùm acidi quoque & auſteri, quod tum ex multo malorum citriorum aliorumvè fructuum acidorum, aceti, vini rhenani & ſimilium abuſu, tum ex animi mærore ac terrore, tum ex aëris aſperi frigore, & ſimilibus evenire ſolet, toties iidem corrigendi ſunt, temperandiq; ac concentrandi mox per hydragoga evacuandi.* Ubi menſes interim ex ſubito terrore retinentur; advocato ex tempore in conſilium Medico ante omnia celebranda eſt phlebotomia quâ circulatio intercepta reſtituetur ſanguini & coagula-

ionis augmentum præpedietur.

Suppreſſa catamœnia ex incauto aſtrin-
entium uſu, revocantur injecto enemate,
x laxantibus, emollientibus & uterinis, ac
ein purgando pilul. de hiera cum agar. vel
uffi, &c. addito ſtimulo ex colokint. vel
iagr. ac demùm ſanguinis conſtricta com-
ages, reſeranda, aperientibus de quibus
ıpra.

Deficientibus menſtruis quia purgamen
iterinum, ſub colis uteri jacens adeò gluti-
oſum factum eſt, ut parietibus eorumdem
enaciter adhæreſcat & obſtruat citra vitium
nguinis: indicatur illud diſſolvere, & flui-
um facere, quod obtinetur externis de qui-
us infra.

Ubi menſium retentio occaſionatur, com-
reſſione colorum uteri ex nimiâ vaſorum
lenitudine: phlebotomia omne agit pun-
tum, quæ non in vaſis inferioribus inſtituen-
a eſt, quia majori inde ſanguinis quantitate
ffluente in truncum arteriæ à cujus venis
ontinuis mittitur ſanguis; adeò non cola
teri ab opprimen te ſanguine levanda ſunt,
t potiùs in magis comprimenda; ſed in ſupe-
ioribus ſiquidem per miſſionem ſanguinis ab
llo trunco, cujus rami nulli ad partem affe-
tam, ſcilicet uterum tendunt, fiat ut copia
anguinis in ipſum major devolvatur, quàm
n alterum à cujus ramis continuis pars labo-

rans irrigatur. Rem planiorem reddere lubet, antequam ulla vena tundatur, ſanguis è corde fluens nititur in ſanguinem fluentem per arterias, & ſanguis venarum præcedens, impedimento eſt ſanguini per arterias ſuccedenti: tusâ igitur venâ in quâvis parte ſanguis per arterias venæ tuſæ continuas fluens, liberatur à reſiſtentia præcedentis, cùm liber patet effluxus, in nihil repugnantem aëra, per factum emiſſarium, unde major ſanguinis quantitas affluat oportet, in truncum arteriæ à cujus continuis venis ſanguis educitur. Quare ſi compreſſis à multitudine ſanguinis, uteri colatoriis, vena in pede tundatur: adeò non eorum compreſſio minuetur, ut potiùs invaleſcat & obfirmetur, per affluxum copioſioris ſanguinis in reſpondentes arterias uteri. E converſo, ſi in brachio, tantùm ſubſtrahitur ſanguinis ab utero locisque vicinis, quanta eſt illa portio ſanguinis quæ copioſior in arterias venæ tuſæ remotæ continuas, derivatur: unde cola uteri liberantur à compreſſione, & dehiſcunt recremento uterino in ſecretionem nitenti, & ſequitur menſtruatio. Hujus proceſſus veritas pleniùs confirmatur obſervatione 2. Riverii cent. 1. in fœminâ quâdam, ſanguineo temperamento præditâ & ſuppreſſos menſes patiente, cui quoties vena ſecabatur in malleolo menſes cohibebantur; dum verò ex vena brachii ſanguis mitte-

batur, ii largiùs profluebant.

Quando compreſſio colorum uteri, nimiam arguit ſanguinis turgeſcentiam menſtruam, quia concurrit ejuſdem redundantia, hincq; imminet periculum ne vaſa præ nimiâ diſtentione alicubi diſrumpantur, & extravaſetur ſanguis: ſine morâ vena aperienda eſt: exin nedum tollendo prædicto periculo ſed etiam temperando nimio ſanguinis orgaſmo, plurimùm inſervietur, & concedetur ſpatium in vaſis liberum ad agendum internis temperantibus. Verùm disquiſitio eſt ratione inſtantium menſtruorum, quo in loco, an in ſaphænâ, an in brachio celebranda ſit, venæ ſectio? Saphænam non ſecandam eſſe indè liquet, quod eâ ſectà, raptus ſanguinis turgidioris, ad uterum concitandus ſit, unde cola uteri in magis comprimenda, adeóque pertinacior ſuppreſſionis cauſa reddetur. Vena igitur brachii, ſecunda cujus ope minuetur plenitudo & conjuncta fermentationis nimietas, adeóque levabitur compreſſio colorum uteri, quæ proinde purgamini uterino, in exitum nitenti pervia facta, & ejuſdẽ affluentiâ tumentia, menſtruationis negotium executura ſunt. Hic proceſſus confirmatur experimento Lindani, in Hartm. qui refert mulieri cuidam, cùm inſtarent menſtrua, febricitanti, Clar. parentis & Tulpii juſſu venam brachii ſectam fuiſſe cum ſubſequente men-

ſtruorum intra 24. horas eruptione: ubi tamen febris producitur & alitur miaſmatis ſalinis à retentâ diutiùs in alvo fœculentiâ exſpirantibus, venæ ſectioni præmitti debet injectio enematis lenientis & emollientis, eodem die internè adhibenda ſunt, quæ fermentativam ſanguinis turgeſcentiam quoad nimiùm minuere apta ſunt, non verò in totum reprimant: quatenùs ad menſtruationem aſſequendam; quidam turgeſcentiæ gradus naturali major conſervari in ſanguine debeat. Illa verò ſunt temperantia omnia, quibus jungenda ſunt uterina nonnulla. Diæta erit febrientium, adeòque tenuis, abdicantur acida omnia & potiſſimum fixiora, quæ ſanguinis ebullitionẽ nimis extinguunt, hincque Hippocrates dixit acida utero inimica. Si poſtridie menſtrua non prodeant, ſectione ſaphænæ provocanda ſunt, perſiſtendo in temperantium & diluentium uſu.

Demùm ac poſtremò, ſi compreſſio colorum uteri ſupponat tumorem quemdam in utero vel callum, danda opera ut tumor vel callus appropriatis ſubſidiis tollatur, quod ſi obtineri nequeat, vel alia adſit cauſa inemendabilis, ut recremento uterino intra propria cola, non ſit ſperabilis ingreſſus; unicum auxilium ex chyrurgiâ petendum reſtat, idq; eſt venæ ſectio in inferioribus. Sic Walſmiedt in Timæum caſ. 6. lib. 4. de cauſa menſium

incorrigibili loquitur. *Quamvis enim venæ ſectio non poſſit menſes elicere, ſeu profluvium excitare, multùm tamen conducit ſanitatis conſervationi, quatenùs copia ſanguinis per eam minuitur & ita ſubjectum à variis morbis, & inſultibus præmunitur.* Sectioni venæ ſubſtitui poſſunt cucurbitulæ ſcarificatæ, vel hæmorrhoidum fluxus excitandus eſt, cùm tamen per ſanguinis emiſſarium, non educitur totum congeſtum in vaſis purgamen uterinum, idque varia mala excitare valeat: ideò curandum è ſanguinis vaſis aliqua educatur, v. g. per renes diureticis, quandoque per alvum purgatione, in hoc ſcopo, omne ferunt punctum cauteria tibiis inuſta cum illa ichoris forma non modò portionem ſanguinis menſtrui eliminent, ſed etiam geminùm & ſuperſtes in vaſis purgamen uterinum ab utero derivent, undè Sennertus capite prop. dicit cauteria humoribus qui cum ſanguine ex utero fluere ſolent, aliò viam monſtrare, & inclinationem eorum ad uterum prohibere. Quantum autem ſanguinis mittendum ſit per venam pedis? copia ejus & vires docebunt. Tempus venæ ſectionis quod attinet, commodiſſimè illa celebratur, eo tempore quo menſes, ſi jam priùs fluxerint, fluere ſolebant, aut ſi nunquam adhuc apparuerint, quo tempore ægra magis affici & laborare graviùs ſolita eſt.

Menſtruam ſuperfluitatem in vaſis retentam, multifaria poſt ſe trahere ſimptomata, nemini Medicorum non notum eſt. Nonnulla ſunt ita gravia, ut ex ſævitiâ cordati ac experientiſſimi Medici animum, perinde atque ægrotantis vires magnoperè fatigare ſoleant, quin & nonnunquam diſſolvant. Plura ex his ſimptomata, quia morbo ipſo graviora ſunt, curationem peculiarem & à ſimplici menſium retentione ſæpè deſtinatam exigunt: id enim, quod gravius eſt, de pluribus haberi debet, & depelli: ſic poſtea id quod levius eſt, faciliùs curatur. Illa igitur cùm ſint cōſideratione & animadverſione plena, peculiari capite quoad theoriam & thicrapeuſim, ex ordine pertractare, operæ pretium eſt, quare ſit

CAPUT III.

De Simptomatis quibuſdam gravibus Suppreſſionem menſium ſubſequentibus, ac primò de motibus convulſivis & epilepticis.

PUrgamen uterinum in ſanguine ſecretionis defectu redundans cum eo circumire nequit, quin aſſiduâ ejuſdem fermentatione variam attritionem patiatur adeóque attenuetur, & aliis

confundatur humoribus, attenuatum verò quia liquido nervorum peregrinum quid eſt & exaticum, adeóq; haud ineptum fermentationi cum eo ineundæ; ſi fortè per corticalia cerebri incernicula, cum liquido ſpirituoſo promiſcuè tranſcoletur: futurum ut liquidum ſpirituoſum, in obnormes creatur motus in cerebro,& inordinatè ac tumultuosè diſtribuatur in muſculos,qui proindè, quia major derivatur liquidi ſpirituoſi copia in illos quàm quæ imperante voluntate impediri poſſit, citra mentis regimen inordinatè movendi ſunt. Unde interdum mentis & ſæpiùs motus voluntarii læſio, quæ interim major vel minor futura eſt, prout major vel minor dabitur per purgaminis uterini miſcelam, liquidi ſpirituoſi inordinatio & tumultus. Ob hanc ſpirituum turbam in cerebro, quædam oculis apertis non vident, aliæ non audiunt, aliæ multa ſe audire & cernere referunt, quæ à ratione bonâ declinant ſpiritibus in nervos opticos & acoviſticos effluere cohibitis. Iiſdem irregulariter in hunc aut illum plures aut omnes muſculos deſcendentibus, una plures vel omnes corporis convelluntur, his oculi, illis caput, aliis lingua, aut crus, aut manus, aut partes reſpirationi inſervientes, aliæ vociferantur, & quærulantur, quid verò mali ſentiant proferre nequeunt, convulſis muſculis linguæ motoribus, aliæ

flent, aliæ rident, aliæ toto corpore contremiſcunt, in aliis univerſa membra convelluntur, & ſenſus omnes interni & externi abolentur, aut ſaltem notabiliter læduntur.

Etſi omnis epilepſia ex ſe periculoſa dicatur, ac pertinax malum; hæc tamen ex ſuppreſſis menſibus proveniens, minus periculum, minorémque pertinaciam habet: modò enim menſes ſint evocabiles, ſanationis ſpes plurima affulget, ut nunquam hoc malum redeat. Sic apud Joh. Hellwigium obſ. medic. 56. puella ætatis anno tredecimo epilepſiâ ſtupendâ corripi cœpit, quæ, ut primùm menſtrua prodierunt, hoc malo, ultrò præter unam alteramve vicem, in ſubſequente ſolùmmodò bimeſtri, ac breviſſimo quidem inſultu liberata fuit.

Quod ſpectat medendi methodum, quia ſpaſmodica eſt affectio, remedia antiſpaſmodica indicantur, verumtamen cùm menſtrua ſuperfluitas retenta, cauſa ſit morbifica, remedia, evacuationem menſium reſpicientia, prioribus adjungenda veniunt: etiamſi urgentiori ſimptomati ſeſe opponere oporteat, nihilominùs morbus à quo pendet conſiderationem aliquam meretur & poſtulat.

Curatio alia eſt in alia extra paroxiſmum. In paroxiſmo, ſi ille levior ſit, ſua ſponte pertranſire permittatur, ſin è contra moleſtus ſit ac diu perduret; curandum ut ſpiritus

conceptas inordinationes velociùs remittant, & novis copulæ hæterogeneæ, ideſt, purgaminis uterini amplexibus immunes fiant: in ordinem ſpiritus revocantur, admovendo naribus fœtida: effluvia enim ab his emanantia, immiſtam ſpiritibus copulam heterogeneam, penitùs profligando, eorumdem anomaliam reprimunt, & corrigunt: antiſpaſmodica etiam menſes cientibus complicata bono cum eventu intus exhibentur: dentur itaque guttulæ 25. aut 30. eſſent. uterinæ D. Jungken vel ſp. ſal. armon. ſuccinati & caſtoriſati totidem in cocleari aq. ruthæ, ſabinæ, puleg. &c. vel ſubindè coclear mixturæ ſequentis.

Rec. Aq. ruth. pugel. ana. unc. 1. ſ. aq. hirund. cum caſtor. unc. 1. ſp. ſal. armon. ſcr. 2. ſyrop. de pæon. drag. 6. m.

Os conſtrictum aperietur, & coclear ligneum indetur, ſi fervor ſanguinis ſummus notetur, cavendum à ſpirituoſis validis, quibus paroxiſmus exaſperatur; humorum enim fervor ſpirituoſis validioribus intendi nequit citrà ſpirituum confirmatam inordinationem in cerebro ac nervoſo genere, quin tum temperatiora præſcribenda ſunt, velut aquæ frigidæ hauſtus in quâ camphora deflagravit vel coclear unum alterumve aquæ hirund. cum caſtor. deſtil.

Quandocumque alvus ſtricta eſt, & impuritatibus ſcatere videtur, enema injicien-

dum acrius additis uterinis, quo non modò derivandi ſunt humores à capite, ſed quoque id quod malum ſæpè fovet in inteſtinis hærens, eliminandum. Si his paroxiſmus non miteſcat, ſuaſu Roderici à Caſtro de morb. mul. lib. & cap. 2. vena in pede ſecanda eſt: ibi enim ſcribit, quod *ſi acceſſio diu duret & proveniat ex menſium ſuppreſſione, conveniat ſanguinis miſsio ex pede.* Hoc conſilium fulcitur experimento Philippi Hoeſtetteri qui obſ. part. 2. nonnullis hiſtoriis oſtendit venæ ſectionem in pede, urgente paroxiſmo profuiſſe: adeò ut quædam Monialis, aphona, & per biduum convulſa, poſt duas horas à venæ ſectione loqui, comedere & bibere cœperit. Ratio etiam venæ ſectionem innuit: per eam enim in pede, ſanguis à capite uterum verſus, copioſior determinatur, tantùm adeòque ſubſtrahitur à cerebro inſtillantis continuò purgaminis uterini, ſpiritibus ita exoſi, tandem perſiſtente paroxiſmo, antiſpaſmodicis uterinis addendum eſt opium, quo potenter ſpiritus in ordinem reducuntur. Sic Riverius cent. 4. obſ. 10. refert puellam viro maturam, motibus convulſivis, ex utero correptam, ſequenti remedio in momento liberaſſe. Rec. Aſſæ fœtid. dr. 2. caſtor. fœcul. bryon. ana. dr. 1. ſem ruth. ſcrup. ſ. croc. ſcr. ſ. laudan. parat. gr. 8. (quæ dicit author addidiſſe cum conſilio Hippocratis qui ſuccum

papaveris

papaveris ſomniferi preſcribit in ſuffocatione
uteri lib. 1. de morb. mul. ſect. 5. pag. 247.
circa finē in Hip. Fœſii.) cum ſyr. de arthem.
f. maſſa pil. de quâ capiat dr. 1. Convenien-
tiſſima eſt etiam hæc mixtura.

Rec. Aq. epilept. Lang. un. 3. hirund. cum
caſtor. hyſteric. ana. un. 1. trochiſ. de mirrha
dr. 1. ſ. ſyr. ſtœcad. un. 1. laud. opiat. cum ca-
ſtor. & croc. parati gr. 4. ſp. ſal. armon. gutt.
30. m. ſubinde coclear exhibeatur.

Nec ſine ratione opiatica antiſpaſmodicis uterinis mixta commendantur, in vehementi & contumaci acceſſione, utpotè quæ ſpiritus feroces, ſomnum conciliando, reprimunt, & hinc inde excurrentes ad quietem cogunt.

Finito paroxiſmo, inquirendum de causâ ſuppreſſionis menſium, & an unquam fluxerint; tota enim Medici intentio ponitur in eorum provocatione, uterinis tamen antiſpaſmodica uſque maritanda ſunt, particulas aſtrictione præditas continentia: Willis enim rectè credit, de mot. convul. ſpecificam antiepilepticorum vim in aſtrictione conſiſtere, quæ mediante circulatione humorum, ad corticalem cerebri ſubſtantiam delata, poros ſpirituum ſecretiores, nimis laxos & apertos coarctare rursùs valeant; ut ſic particulis hæterogeneis mutuus cum ſpiritibus ingreſſus denegetur quod eſt cerebrum corroborare. Pulvis hic tanquam infallibile experimentum

commendatur à Simone Jacob obſ. 22.

Rec. Rad. gentian. ariſtol. rot. diptam. alb. piretr. rhapont. biſtor. tormentil. carlin. angelic. imperat. bacc. laur. ſem. coriand. ppti aniſi, gran. junip. maſtich. bol. armen. or. terr. ſigill. ana. dr. 3. ſ. croci ar. dr. 2. ſ. m. f. pil. tenuiſſ. cujus dr. 1. cum aqua quadam uterina bis aut ter in ſeptimanâ, aut ſæpiùs, etiamſi affectus urgeat, ſumetur.

Si menſes non ſint evocabiles, venæ ſectio circa illud tempus quo paroxiſmus accidit & malè ægra futuram ſe conjectat, in pede facienda eſt, fontanella etiam in crure, protuſa mirùm juvat; per eam menſtrua ſuperfluitas ichoris aut puris formâ eliminatur, in crure autem potiùs quàm alicubi, quia locus eſt utero propior. Pro extremo remedio conſuli poteſt matrimonium virgini, exin ſperando fore ut per imprægnationem & partum, uterus menſtruationi ſeſe accommodet, & expurgetur, ſic in anno miſcellan. german. curioſ. obſ. 86. Virgo ex menſium retentione, epileptica, cùm nupſiſſet & puerpera facta, à partu optimè purgata eſſet, libera ab illo morbo evaſit.

§. 1.

De dolore capitis ex utero.

DOlor capitis ægrè tolerabilis, ſuppreſſis menſibus, ſæpè ſupervenit, pendetque modò à ſanguine nimiùm rarefacto & efferveſcente, modò ab impedito illius ad inferiora vaſa excurſu libero, modò à prævià membranarum cerebri debilitate. Enimvero cum ſanguis ſuppreſſis menſibus, quantitate peccans, in fermentationem ac rareſcentiam naturali majorem, maleficio purgaminis uterini non excreti & erecti, adigitur; exin turget cerebrum, nimiùm diſtenduntur ſinus in durâ meninge inſculpti, & fit dolor extenſivus cum gravitate & pulſione.

Poſito ſanguinem ad inferiores partes, liberè non excurrere, quia venulæ uteri à glandulis turgidis compreſſæ, divulſioni non cedunt, vel quia alvo fœcibus refertâ, vaſa circumcirca intra abdomen perreptantia, præſſionem ferunt; ſolitus ſanguinis tenor ac fluxus in partes ſubjectas imminuitur: adeóque plenior ejus torrens in alias partes, quâ datâ portâ liberiori, adeòque maximè cerebrum versùs, ob aortæ aſcendentis diſpoſitionem, dirigitur. Ita ut ob hanc cauſam neſum cephalagias ſed affectiones ſoporoſas

& interdum læthales, diſruptis præ diſtentione vaſis cerebri, ſucceſſiſſe viſum ſit, copioſiori enim ſanguinis intra cerebrum raptui non modicè favet aortæ aſcendentis diſpoſitio, quæ quidem versùs ſuperiorem corporis partem rectè tendit, nec niſi incurvata ad inferiorem: cùm enim humores per flexibiles rectos canales, faciliùs moveantur, quàm per obliquos: fieri non poteſt, quin ob laudatam aortæ directionem, ſanguis, ubi præſertim commeare liberè ad inferiora non valet; ſurſum faciliùs evehatur, quàm deorſum prolabatur. Unde ſiquidem ſanguis ad arterias cerebrales copioſior evehi nequeat, quin illas in majorem molem attollat, minorique celeritate decurrat ſpatia interarterialia & eadem proindè infarciat & oppleat: futurum, ut quâ mole, quâ pondere, quâ undulatione, ac impetu ſenſibiles meningum fibrillas diſtrahat, in eas gravet vibretque validè, unde dolor capitis tenſivus, gravativus & pulſativus.

Ratione capitis cæteris partibus imbecillioris, vel à naturâ vel ob paſſam aliàs labem; pars enim imbecillior, prima omnium jacturam ac incommoda perſentit ac ſolvit. Et verò cùm ſanguis per tenſam ac firmam partem faciliùs trajicitur quàm per laxã ac mollem; meninges igitur quoquomodo laxiores eſſe nequeunt quin ſanguini permeanti

aliquam moram injiciant: unde ille lentiùs ac ſegniùs in ipſis circulare coactus, non eâ revehetur copiâ in venas quâ per arterias advehebatur, adeòque accumulabitur & gravabitur in meninges. Hinc etiam fluorem velut deliquium quoddam paſſus, purgamen uterinum retentum alióſque humores, juxta vaſorum intercapedines ; amandaturus eſt, quod prout in brachium omoplatas, coxendicem ſuffuſum, tumorem ac fluxionem producit; ſic in capitis membranas decumbens, dolorem facit. Hanc cauſam ſubintellexiſſe videtur Sennert. cap. de dol. capit. ex utero, dicendo, *Interdum ipſe ſanguis vitioſus & præcipuè ſeroſa ejus & acrior & ſubtilior pars ex vaſis uteri ad majora regurgitat, atque in ipſum caput aſcendit, & in menbranoſas partes effuſus, in iis dolorem excitat.*

Hic dolor moleſtus eſt ita ut membranas cerebri ſibi ſæpè quaſi dilacerari & caput tantùm non rumpi conquerantur fœminæ. Dolor verò capitis eſſe ex ſuppreſſis menſibus innoteſcit, ex eo quòd menſes nõ rectè fluant, & dolor præcipuè moleſtet aut increſcat dum menſium fluxus immi net.

Ubi dolor capitis pendet à nimiâ ſanguinis turgeſcentiâ, ea fiunt quæ Cap. præcedente dicta ſunt in ſuppreſſis à tali causâ menſibus, facienda. Hoc adjiciendũ venit, quòd, cùm vena in brachio priùs aperiẽda ſit quàm in pede,

vena dextri brachii potiùs ſeligenda ſit quàm ſiniſtra, ſuadente & probante Highmoro dum diſquiſit. anat. lib. 2. part. 2. pag. 134. has voces profert: *Ex arteriarum carotidum, à ſubclaviâ dextrâ exortu, electio venarum in morbis cephalicis ſuadetur, in venæ ſectione; vena ſcilicet dextri brachii eſt potiùs ſeligenda quàm ſiniſtri: quia cùm omnem à ſubclaviâ arteriâ, venæ ejuſdem brachii, ſanguinem recipiant, cujus ſurculis in brachio per anaſtomoſes uniuntur, plus à capite phlebotomiâ in dextro brachio peracta quàm in ſiniſtro derivatur. Quo enim plus ſanguinis ex arteriâ ſubclaviâ per venas in quas (ut dictum eſt) ſuum ſanguinem effundit, evacuetur; eò minùs ad caput per carotides ferri eſt neceſſe.*

Dolor capitis annuens raptum ſanguinis ad caput ob difficilem venularum compreſſarum divulſionem; prȩter venæ ſectionem & injectum enema, poſtulat balneorum uſum, quibus emollitæ, faciliùs fibrarum ſuarum dimotionem patientur. Dolor capitis ortus ex alvi conſtipatione, curatur alvo enemate ſolutâ, ac dein tusâ in pede venâ ut ſanguis à capite ad uterum, menſtruationis emunctorium divertatur, ac demùm exhibenda ſunt emnenagoga cephalicis mixta conſtitutioni laborantis congrua. Ubi meninges cerebri ob innatum vel aſſititiam imbecillitatem ac relaxationem, menſium ſuppreſſorum peccatum

luunt, totus curationis ſcopus in eo conſiſtit, ut quantùm poteſt, revellatur ſanguis cum humoribus à capite, quæ revulſio obtinetur clyſtere, ac dein miſſione ſanguinis ex pede; quibus factis, ſi menſtrua non exeant, purgatio inſtituetur è fortioribus ut vaſa ſanguine humoribúsque depleta, ſerum effuſum reſorbeant, ſicque meninges nativam firmitatem recuperent. Si his nonobſtantibus perſiſtat dolor; effuſi humores in meninges ſudoriferis reſolvendi ſunt, veſicatorium cervici aut juxta aures applicatum, egregii eſt uſus; veſicatorio namque ſerum in meninges gravans ac vellicans, nec prioribus medelis reſolutum, foras convehitur.

§ 2.

De Tuſſi ex utero.

EXtat apud Nicol. Fontanum curat. & obſ. medic. fol. 141. hiſtoria puellæ quæ ætate 20. annorum, poſt ſuppreſſa menſtrua in febrem continuam cum tuſſi aſperrimâ incidit, aliam refert Frider. Deckers in exercit. pract. cap. de ſudorif. mulieris cujuſdam quæ ex frigore ſuſcepto, ſuppreſſionem menſium patiens, tuſſivit, phlegmata ſubſalſa excrevit, leviterque febricitavit. Quæ ſit hujus tuſſis cauſa formalis jam explanandum.

Tuſſis hæc arguit purgaminis uterini in ſanguine retenti & in fluorem adducti, circulationis commeatu, ad pulmones tranſmiſſionem: nam humor mitis quo naturaliter madent bronchiæ & tota pulmonum ſubſtantia ſalſis purgaminis uterini particulis contaminatus, acris proindèque vellicando aptus redditur, unde pulmones ſæpiùs laceſſiti in ſuo reciprocationis motu, interrumpuntur, & ſæpiùs æquo contrahuntur. Unde fit valida, crebrior, inæqualis & ſonora efflatio & exſpiratio, quâ intractus aër cum impetu foras erumpit, pituitámque ſalſam ex vellicatione, è pulmonum glandulis affatim emulctam ſecum rapit foras, & fit tuſſis cum ſputo ſalſugineo. Adjungitur febris, quia purgaminis uterini particulis ſalſo acribus augetur fermentatio ſanguinis. Concurrunt etiam ad ejuſmodi tuſſim cum febre, modò tranſpiratio impedita, modò vigiliæ immodicæ, modò victus ratio ex ſalinis, modò temperamentum bilioſum ſeu ſalinum, &c.

In hâc curandâ tuſſi prodeſt ſtatim inſtituta in pede phlebotomia, ad revellendum à pulmone ad uterum: quam excipiet uſus pectoralium demulcentium cum uterinis mitioribus junctorum. Ubi ſimul evacuatio per poros cutis impeditur, unde tuſſi ſociæque febri robur additur, proſunt diaphoretica v. g. ex antim. diap. ſpermate ceti, ocul. canc.

mirrh. & croc. &c. ſi tuſſis diu noctúque moleſtet ut ſomnus deſit, pulveribus prædictis vel aliis ejuſdem generis opium utiliter addetur, vel poſſunt exhiberi pilulæ de cynogloſſ. de ſtyrace Sylvii, vel ſequentes Deckeri quibus tuſſis præcitatæ fœminæ ſedata fuit.

Rec. Rad. Helenii, irid. flor. altheæ, rec. aa. un. ſ. ſem. hyoſciam. albi, ſucci glizirric. opii in ſ. q. ſp. vini ſolut. & inſpiſſat. mirrh. rub. ana. dr. 6. thur. maſc. dr. ſ. caſtor. dr. 1. flor. benzoim. croci, ſtyrac. calam. ana. dr. 3. f. omniũ pul ſubtiliſſ. & cum ſyr. papav. errat. fiat maſſa. Harum pilularum doſis ſemel aut bis quotidie aſſumetur: victus erit ex acrimoniam mitigantibus, & febrilem motum compeſcentibus, ut juſculis gallinaceis, avenaceis, hordeaceis, &c.

§. 3.

De Pleuritide ex utero.

PUlmones verã pleuritidis ſedem eſſe, diſſectio illo affectu demortuorum teſtatur, probat etiã ratio quæ per eam facilè redditur de tuſſi & ſputo ſanguineo craſſo & quaſi purulento: Pulmones enim verè habentur tuſſis organum, habentq; viam per quã effuſi intra ipſos humores, per anacatharſim evacuentur. Pleuritidem inter & peripneumoniam, hoc Recentiores aſſignant diſcrimen quod prioris

ſedes jaceat in extrema pulmonum ſubſtantia, poſterioris in interna: Quod diſcrimen quia levius apparet, geminúsq; affectus convenit fermè in omnibus ſimptomatis & eamdem therapeütices rationem exigit Haud nefas puto ſi utrumque ſub uno & eodem nomine comprehendi velim.

His ita prælibatis, quò fiat inflammatio vel eriſipelas ubilibet; dari debet quies ſanguinis vel intra vaſa vel extra eadem, quo ſiſtente & novo ſemper ac ſemper affluente, pars infarcitur & tumet, & fit inflammatio. Quare quæcumque ſanguini quietem intra pulmones dare poſſunt; poſſunt pariter inflammationem ejuſdem ſeu pleuritim producere. Illa autem ſunt ſequentia: Primò, aër nimirùm qui inſpiratur, ſi frigidior ſit, talis enim ad pulmones deductus, quia frigida villos conſtringunt, in contactum ſanguineorum vaſorum veniendo, ea conſtringit, unde liber ad pulmones circularis meatus, ſanguini denegatur, qui proinde reſtagnat, & per affluxum continuò ſuccedentis, in tumorem attollitur pars, ſeu fit vera inflammatio, aëre etiam frigidiore, per os in pectus ducto ſanguis concreſcit, & hoc de nomine pleuritis faciliùs promovetur.

Secundò, acida & impensè refrigerantia, ut potus limoniatorum aquarum glaciatarum, &c. quæ ad ſanguinis vaſa per lacteas

& ductum thoracicum adducta in eum incidendo, eum incraſſant, & traducendis pulmonibus ineptum efficiunt, unde obſtructio inflammatoria cietur. Illud idem faciunt terrores & mœrores qui proinde quietem etiam ſanguini intra pulmones conciliare valent.

Tertiò, quæcumque ſanguinem impensè rarefaciunt, ut vini & aquarum ardentium excedens potus, vehemens exercitium, tempeſtas frigidior, iracundia, &c. Sanguis enim multùm effervefcens, multùm ſpatii exigit & occupat; adeoque cum maximâ ſpumâ & turgeſcentiâ è dextro cordis ſinu, intra proxima pulmonum vaſa, propulſus, ea in origine inſigniter dilatat. Unde quia ſolemne eſt vaſis flexibilibus, & mollibus tantùm in ſuis extremis coarctari quantùm in ſuâ origine præter naturã dilatantur: fit ut ſanguis valdè rarefactus, è corde in pulmonum vaſa procidens, viam ſibi ipſi præcludat, hæreat proinde, accumuletur & inflammationem accieat. Sãguis ita rarefactus eò aptior eſt pleuritidi producendæ quod plurimum ſeri diluentis per poros miliares cutis aut urinas deperdat, unde rarefactio cum viſciditate & major inflammando pulmones proclivitas. Ab his igitur ſingulis & aliis ejuſmodi poſſunt inflammari pulmones: aſt verò quia his ipſis iiſdem de cauſis ſupprimuntur menſes, ut antea probatum: quidni ſuppreſſionem

menſium inferendo, pleuritim facere poſſint, huic rei maximè faciente menſtruâ ſuperfluitate retentâ.

Medendi intentiones ſunt: Primò, ut ſanguinis ad partem affectam affluxus reſcindatur, & quoquo modò minuatur. Secundò, annitendum ut materies morbifica in pulmone commorans, ac ſtagnans vel evaſata in maſſam reliquam per venas reſorbeatur & priſtino circuitui reddatur. His indicationibus ſatisfacit venæ ſectio ſtatim ab initio facta, quæ an in pede, ob retentionē menſium, an in brachio ob affectos pulmones, primò celebrari debeat? diſcrepatur apud authores. Eorum qui in brachio, & quidem partis affectæ faciendam primò phlebotomiam ſuſtinent, pars æquior videtur, quia urgentiùs ſimptoma medicas intentiones ad ſe trahit. *Si enim morbus* (inquit Roder. à Caſtro, de morb. mul. lib. 1. cap. 13.) *ſit urgens veluti angina, pleuritis, aut ſimilis alius, tunc certò ea remedia exhibenda ſunt, quæ morbus exigit, citra conſiderationem venarum pedis; quippe eorum indicatio, eam quæ à menſtruis deſumitur ſuperare ſolet, tametſi venas pedis reſpicere, etiamnum tutiſſimum ſemper fuerit.* Vena cum orificio ampliore ſecabitur, & ſanguis mittetur liberalior, tum quia retentis menſtruis redundat intra vaſa, tum quia vaſa ſanguine depleta, non ſolùm morbi fomitem

ſubtrahunt, ſed & materiam in pulmonibus ſubſiſtentem reſorbere valent. Sex vel ſeptem horis poſt celebratam in brachio phlebotomiam, alia in pede celebranda eſt, ad materiam morbificam potenter à parte affectâ revellendam, & hæc pro re nata reiterari poteſt ſingulis poſthac diebus donec dolor & febris miteſcant? imò interdùm bis in die ubi pleuritis peracuta eſt.

In omni pleuritide alvus libera non fluxa deſideratur, quæ proinde ſuo munere deficiens, cliſtere ſine magnâ violentiâ ſubducente, ſollicitabitur. Catarctica tanquam venenum arceantur, quia ſanguinem commovendo, in partem affectam impetuoſiùs adigunt, unde fluxio & inflammatio gravior redditur: quia inſuper urgentibus doloribus, rariùs ſuam edunt operationem, vel ſi edant, alvum liquidiorem efficiunt, quod nunquam tutum imò ſemper periculoſum teſte Hipp. aph. 16. ſect. 6. dicente: Pleuritide aut peripneumoniâ detento, alvi profluvium ſuperveniens malum.

Præter phlebotomiam ſtrictámque alvum enemate ſolutam, intus exhiberi debent, quæ reſolvendi, aperiendi, & circulantibus humoribus liberum ſuum motum reſtituendi, vim habent. Hæc verò ſunt ſudorifera, ſalia nempè volatilia oleoſa, pulveres teſtacei, ocul. canc. dent. aprug. mandibul. lucii piſcis,

CC. ſpag. ppt. ſang. hirci, aliáque ſale alkali prædita, quibus ratione ſuppreſſionis menſium complicanda ſunt emmenagoga, ut mirrha, ſuccinum, crocus, caſtor. &c. Timæus à Guldenklé lib. 2. caſu 7. feliciſſimo & admirando ſucceſſu ſe exhibuiſſe perhibet drag. unam ſpermatis ceti cum tantillo caſtorei ex cêreviſiâ calidâ, quem pulverem pari ſucceſſu expertus fui. Sequens mixtura maximè etiam eſt laudis.

Rec. Stercoris equini unc. 4. decoct. arthemiſ. & flor. camomill. lb. 1. ſ. fiat infuſio in loco calido, vaſe clauſo, per horas duas, colaturæ adde ſp. ſal. armon. ſuccinat. ſcr. 3. ſ. ſyr. papaver. errat. unc. 2. m. f. mixtura, cujus ſex cochlearia dentur ter aut quater de die.

Quando dolor valdè acutus & vigiliæ urgent; ſudorifera opio maritari convenit, ſed tantùm ab initio cùm fluxio necdum confirmata eſt, & habitâ reſpirationis ratione, quæ ſi notabiliter lædatur, ampliùs impedietur, exhibito opio, cùm per ſomnum copioſior materiæ morbiferæ pœnus pulmonibus impingetur, unde ſummum adducitur vitæ diſcrimen.

Externorum pectori dolenti applicatio nonnihili facienda eſt quæ cum internis, ſtagnantis ſanguinis reſolutioni adeòque reſorptioni necnon doloris ſedationi valdè conducere experientia teſtis eſt. Unum hic notare

lubet quod factis per vulgus experimentis, oppidò deprædicatur: applicatur nimirùm lateri dolenti cataplaſma confectum ex ſex albuminibus ovorum ſuper ſtuppam extenſis & quibus inſpergitur piperis nigri & zinziberis pul. ana un. ſ. quod bis de die renovatur, & infallibile habetur remedium & probatum laudo.

§. 4.

De variis ventriculi affectibus, cardialgiâ, vomitu & picâ.

Recrementium ſanguinis humorem à ſecretione cohibitum, varia quandoque cum hoc aut illo alio, inire connubia, pro majori analogia nullum eſt dubium. Sic v. g. bilis in ictero per hepatis cola ſecerni neſciens urinam & ſalivam ſæpè amaram efficit, muco cutis annexa aureo corpus tingit colore. Hoc ita habito, prout igitur purgamen uterinum in ſanguinis vaſis retentum, cum hoc aut illo ſanguinis humore pro analogiâ conſortium init, variæ affectiones exurgant neceſſe eſt. Quare ſi fluidum ſalivale & ſtomachale, retento in vaſis purgamine uterino coinquinentur; quia inde acredinem validiorem ſortientur, apta evadent irritando acriter palato & ventriculo, inepta verò chylo

ritè perficiendo,unde oris inquietudo, digeſtiones lęſæ,dolor ſeu anxietas ſtomachi cum moleſto ardoris ſenſu, & quandoque animi deliquio. Verùm enim verò, ſi vellicatio in nerveam ventriculi tunicam tanta ſit ut ſpiritus incolæ ad cerebrum vehementiâ quâ poteſt maximâ repercutiantur; quia ita repercuſſi ſpiritus à parte cerebri quam aſperiùs impetent, inflexa, neceſſariò adhuc aliò reflexim detorqueantur quam in ductus conſuetos, nulláque aptior pateat via effundere ſeſe nitentibus quàm quæ ducit ad nervos pneumonicos & cardiacos tum ob viciniam, tum ob majorem dehiſcentiam (nervos illos ob perpetuæ reſpirationis cordisq; motionis neceſſitudinem, cæteris magis patere convenit apud pleroſque Recentiores & indigitat ratio.) Sequitur ſpiritus in prælaudatos nervos impetim irruendos eſſe & copioſiùs: undè tota fibroſa pulmonum cordisque compages, plus æquo conſtringenda eſt, coarctatis proindè pulmonum canaliculis per quo ſanguis migrat in venas, cordeque pertinaciùs contracto, futurum ut, ſanguinis circulatio, aliquantiſper intercipiatur, adeoqu corpus conſueto ſanguinis vectigali defraudetur, & conſequenter nulli aut pauci omninò ſpiritus in corticalibus cerebri glanduli ſecernantur. Hinc deficiente ſpirituum intra cerebrum proinque ſubjectas partes influxu

vire

vires collabantur, & functiones omnes corruant, quod eſt cardiagmos. Ex hâc causâ ſexus ſequior ante acceſſionem de cordis conſtrictione conqueri ſolet. Cardialgia hæc plerumque vomitu enormi interrumpitur, ex quo levari ſe dicunt mulierculæ: ſi enim ſpiritus à ventriculo potenter vellicato & laceſſito repulſi, favente oſtiorum commercio in nervos phrænicos ſimul & gaſtricos, confertim deriventur, quia majori niſu ac impetu rapiuntur in fibras diaphragmatis & muſculorum abdominis: non poteſt quin validiorem eorumdem contractionem, copioſiùs decidentes ſpiritus moliantur. Hinc undique ſtomachus validiùs premi non poteſt, quin urgeantur contenta, viámque ſibi parent quâ poſſunt, & effugiant, non per pylorum, ut qui in ſuo ambitu & vicinio, ab incumbente dextro hepatis limbo, & ſubjecto ejuſdem lobulo comprimitur, ſed per orificium ſuperius ventriculi ab omni preſſione immune & patens, in œſophagum, fauces imas, indeque in os foras excludenda.

Ex ſuppreſſione menſium picam quoque oriri notatur, ſuccus namque ſalivalis & ſtomachalis, purgamine uterino conſpurcati, nervos aliter ſolito afficiendo faciunt ut animæ inconſueti repræſententur cibi, ſequatúrque depravatio perceptionis & judicii: quo in errore anima pleniùs confirmatur,

dum cibi conſueti manduntur, quorum ſapor injucundus emergit ob pravum ſalivæ caracterem admixtione purgaminis uterini contractum, & fit faſtidium, unde anxia mens quærit hic illic ea quæ moleſtam famis ſenſationem compeſcere valent, quod cùm conſueti cibi præſtare nequeant, quæcumque ſive edulioſa ſive exoſa & inſueta menti aut oculis primò ſe offerunt, appetuntur. Hinc prout inſtituta tentamina circa hanc vel illam rem, utcumque abſurdam & inſuetam quæ ori admovetur, magis vel minùs arrident guſtus organo obtundúntque meliùs quàm quælibet alia conſueta, moleſtam famis præter naturalis ſenſationem, fit ut demùm ac poſtea appetantur.

Quod horum ſimptomatum curationem ſpectat, in cardialgiâ & quando cardialgia ac vomitus ſimul occurrunt; alvus ſi ſtricta ſit, ſolvetur enemate, & ſubſequetur miſſio ſanguinis in pede, ut purgamen uterinum à ventriculo ad uterum divertendo, imminens à vomitu periculum præveniatur: in vomitus enim enixibus vaſa ſanguine pleniora, fortiter concuſſa & compreſſa diſrumpi periclitantur, unde varia accidentia. Phlebotomia in hoc caſu, idem prorsùs levamen præſtat, ac in gravidis vomiturientibus: nam gravidarum vomitiones, ab ipsâ eâdē causâ pendentes, hoc remedii genere, etſi ob geſtationem

in vaſis ſuperioribus inſtituto, crebrò ſanantur. Factâ ſanguinis eductione, remedia acrimoniam obtundentia ſuum obtinent uſum, & ea ſunt ex acidis aut ſub acidis concinnata.

Rec. Sal. abſynth. ſcr. 1. ſyr. limon. coclhear unum, m. præſtantiſſimum eſt acrimoniæ frœnum & vomitus hujuſmodi ſedativum prout & hic pulvis.

Rec. Cretæ albiſſ. dr. ʒ. ebor. uſt. coralli rubr. ocul. 69. pul. ana, dr. 1. croci, mirrh. maceris ana. ſcr. 1. adde ſpir. vitrioli gutt. 10. f. pul. in 7. doſes.

Vel Rec. Oſſis ſæpiæ dr. 2. corall. rub. criſtall. ppt. ana. dr. 1, m. f. quatuor doſes horis medicis ſumendæ cum vehiculo idoneo.

Remedia etiam nonnulla chalybeata ſummam edunt efficaciam, in quibus ſal vitriolicus præpollet, velut infuſio chalybis in aquâ nitroaëreo gravidâ ſeu pluviali ac majali, aut in ſero lactis, item extractum martis Minſycthi, tinctura martis Zuelferi, ſal martis, &c. quæ etiam ciendis menſibus favent. Diluentia quoque ac modicè incraſſantia ſeu oleoſa ſunt laudanda; horum etenim ope ſalia majoris molis in minimam ſolvuntur, & irretiuntur ut vellicando ampliùs, inertiora evadant. Conducunt itaque ſerum lactis tamarindatum, item oleum amigdal. dulc. cum ſyr. de althea, item emulſiones ex oleoſis fructibus & ſeminibus amigdalis, puta ſem. 4. frigid.

major, cydonior, vitellum etiam ovi cum tantillo croci & maceris in vino meraco dilutum & devoratum. Urgente neceſſitate opium uſurpabitur, ſed uterinum quale Amſteloda- menſium quo obtundetur exquiſitus ventriculi ſenſus, prout & acrimonia irritans.

Rec. Conſ. roſat. rubr. dr. 1. confect. alkerm. ſcr. 2. laudan. opiat. gr. 1. m.

Vel Rec. Laudan. cydoniat. gr. 1. croci mirrhæ caſtor. ana. gr. 6. mivæ cydon. q. ſ. pro bolo.

Aqua martialis ſpadana, ubi datur tempeſtas, tanquam ſacra eſt anchora, nam epota præterquàm quòd acrimoniam impensè demulceat & attemperet; obſtructiones colorum uteri (frequens ſuppreſſorum menſium cauſa) reſerando apta comperitur.

Picæ cura non negligenda eſt, ſi enim hoc malum diu duret; fieri non poteſt quin maſſa ſanguinea perverſo chylamine continuò reparata, tandé altiùs corrumpatur, & partium nutritio notabiliter lædatur; unde neceſſe eſt cachexiæ ac hydropes contingant, & etiam juxta Riverium prax. lib. 9. cap. 3. *Si humor maiori copia in ventriculum feratur, & majoris malignitatis particeps ſit, cardialgias inſignes interdum producit ex quibus lipothymia & ſyncope & nonnunquam mors ſuccedere ſolet.* Rectè dicit Author ſi humor majori copiâ in ventriculum feratur; & majoris malignitatis

particeps ſit; quandoquidem purgamine uterino, fermentum gaſtricum, multò minùs contaminari ſolet in picâ quàm in cardialgiâ ac vomitu, de quibus ſupra.

Cura hujus affectus in eo poſita eſt, ut recrementum uterinum ab oris ac ventriculi colis ad uterina, ceu genuina divertatur. Huic intentioni ſatisfacit venæ ſectio in pede, quæ etiam movendis menſibus inſerviet. Sic Sennert. cap. de picâ, *Si fœmina* (infit) quæ non ſit gravida, ab obſtructione menſium, in hunc affectum inciderit, vena in malleolo vel poplite ſecetur. Enema laxans & molliens & carminativum quia potenter etiam deorſum revellit, injicietur, ſed ante venæ ſectionem, quæ majus exin præſtabit revulſionis commodum; ſequenti die purgatio ſeu infra ſeu ſupra, prout neceſſitas poſtulat, inſtituatur: quâ non modò humor vitioſus tunicis ventriculi impactus abſumetur, ſed etiam purgamen uterinum ad uterum repelletur. Ut autem purgamen uterinum ad uteri cola eò validiùs retrahatur, venæ ſectio in pede liberalis prout purgatio infra ſuprave inſtituenda eſt, idque manifeſtatur ex Petro Joh. Fabro qui curat. 63. puellam quamdam, annos 20. natam, & ex ſuppreſſis menſtruis picâ laborantem, ejecto clyſtere emollienti & carminativo, miſſo ex malleolis utriuſque pedis ſanguine ad quantitatem ex utroque pede

unciarum ſex, ſequenti die propinata ſalis vitrioli drag. 1. ex aquâ ſalviæ, quâ potione multa evomuit, ſequenti etiam die aſſumptis præcipitati antimon. gr. 15. quo multa & copioſa ſupra & infra iterùm ejecit. His ſolis medicamentis perfectiſſimè à ſe curatam gloriatur.

Purgantia ac vomitoria convenientiora ſunt quæ quamdam poſt ſe actrictionem relinquunt, inter priora ſunt rhabarbarum, mirabolani, tamarindi fortioribus admiſcenda, inter poſteriora ſal vitrioli & radix Ipecacuannæ, ſic glandulæ ventriculi contra novas purgaminis uterini fluxiones munientur. Pro curationis coronide ac ſolutione aquæ minerales ferratæ & acidulæ, item chalibeata omne ferant punctum.

§. 5.

De Arthritide ex utero.

SUppreſſionem menſium ad arthritidem generandam facere patet ex Hippocrate 6. aph. 29. ſcribente, *Mulieres non laborare podagrâ niſi menſes ipſas defecerint*. Ita idem ſcribit 6. epidem. ſect. 8. textu 55. *Abdetis phaëtuſa Pythii conjunx ante per juventam fœcunda erat, viro autem ejus exulante, diu menſes defecerant, ex quo poſtea dolores*

ac rubores, ad articulos exorti ſunt. Hujus mali rationem jam nunc habere expedit.

Arthritidis ſubjectum ſunt perioſtia, ſeu membranæ oſſium capita inveſtientes, tendines, & forſan ligamenta ibidem conſita quorum fibrillis vellicatis dolores acciuntur. Hæ omnes partes nerveæ humorem à ſanguine mutuantur irriguum, magis vel minùs fluidum pro variâ earum actione cui dicatę ſunt & conformatione. Humor ille naturaliter mitis eſt ac benignus; unde quamdiu talis permanet, partes illæ ſenſu exquiſito præditæ, omnis doloris ſunt immunes, quapropter ſi is humor à dulcedine nativâ deſciſcat in ſalinam indolem, ita ut illi particulæ ſcabræ ac rigidæ ſeſe immiſcuerint, eæ ob ſcabritiem & rigiditatem non facilè non poſſunt hærere & reſtagnare in porulis fibrillarum ſenſibilium, & continuâ arteriarum circumcirca decurrentium pulſatione, necnon emanantibus è ſanguine fervente, effluviis valdè mobilibus, commotæ, ſuis ſpiculis in fibrillas nerveas impingent acriter, & dolores atroces producentur, in hâc vel illa aut plurimâ corporis articulatione prout una aut plurima ſuſcipiendis ſalinis maſſæ ſanguineæ fœculentiis propter laxiorem compagem comparatior fuerit.

Supreſſis verò menſtruis ſalſæ purgaminis uterini moleculæ in ſanguine redundant,

quibus igitur ſi humor hujus vel illius vel plurimarum articulationum irriguus inficiatur & gravetur: fiet vellicatio, dolores proinde orientur intenſiſſimi, & erit morbus in quæſtione.

Salinæ purgaminis uterini molcculæ prout pauciores aut plures fluxerint in articulos: intenſiores pariter aut mitiores dolores indicantur, ex ſupra allegato Hippocratis teſtimonio cum partis rubedine. Hæc arthritidis ſpecies ceu quælibet alia, periculoſa non eſt, ſed periculum compenſatur doloribus quorum ſævitiâ dies noctesque cum gemitu & clamore inſomnes plerumque traducuntur.

Ad curandam ejuſmodi arthritidem danda eſt opera, ut dolores ocyus ſedentur, ad quam intentionem obtinendam, purgaminis uterini ad articulos fluxio uberior inhibenda eſt, & minera jamjam impacta diſcutienda ac diſſipanda, & febrilis commotio ſanguinis prout agitatio ſpirituum præ doloribus orta, compeſcenda. Hi omnes ſcopi ita perfici poſtulant, ut ſuppreſſorum menſium evocationi magis proſint quàm obſint, quippè & conſuetudini & morbo, quantum in Medico eſt, ſatisfaciendum. Ulterior purgaminis uterini ad loca affecta affluxus impedietur auxiliis revellentibus & derivantibus, qualia ſunt injectio enematis, venæ ſectio & purgatio: vaſa enim quoquo modo depleta non

ſolùm morbi fomitem ſubſtrahunt, ſed & materiam loco affecto impactam, ſæpenumero reſorbent, aut ſaltem ex parte. Enema igitur emolliens & laxans ſtatim injicietur & dein mittetur ex pede ſanguis: circa quam venæ ſectionem hoc monendum venit quod ſi pes unus tantùm laboret; ex oppoſito ſalvo, eam eſſe faciendam. Si utrique pedes, ſalvis cæteris partibus dolore obſideantur, ratione menſium, cucurbitæ coxis applicandæ ſunt cum ſcarificatione, & poſtea eodem die ſi menſes non prodeant; gyberi vena aperiatur: Medicum eſt namque axioma quod urgentioris mali indicatio, illam quæ à menſtruatione ſumitur, perpetim ſuperet; quod ſi arthritis ſuperiores articulos, præſertim corripuerit, ſanguis ex pede ducetur & quidem liberaliter revulſionis gratiâ. Quod ad purgationem attinet, quæ poſtridie venæ ſectionis ex fortioribus inſtituenda indicatur; id etiam notandum, ſi dolores valdè premant, eam eſſe omittendam, ſi quidem exagitato ampliùs inde ſanguine, dolores exaſperarentur, ſitque periculum ne major materiæ morbificæ copia ad loca affecta deferatur, ſed enematum quotidiana injectio ſubſtituetur. Auxiliis à loco affecto ad uterum revellentibus & derivantibus celebratis, ſi menſes non procedant, ſudoriferorum uſus opus eſt ad diſcuſſionem mineræ dolorificæ articulis

impactæ quibus ſemper uterina complicanda ſunt, & prementibus doloribus ac vigiliis narcotica.

Internis externa adjungere ſemper prodeſt; antiarthritica ſeu externa ſeu interna colligantur ex Authoribus hoc per meam experientiam notatò, quod urgentibus doloribus, externa cum opio mixta, & applicata, mirabiliter proficiant iis ſedandis.

Finito paroxiſmo, curandum Medico, ut menſes poſthac ſtato tempore redeant: cùm ſemel paſſa ex ſuppreſſione menſium arthritis ſtato eorumdem non redeuntium tempore, recurrere ſoleant, ſic refert Georg. Horſtius tom. 2. in append. obſ. 1 juvenculam quamdam ſingulis menſibus propter menſtruorum obſtructionem, articulares dolores invaſiſſe. Satis eſt de Simptomatis, jam tranſeamus ad

LIBRARY MANCHESTER.

CAPUT IV.

De Emmenagogis.

IN prioribus actum de catamœniis cum variis circumſtantiis, ac deinde eorumdẽ ſuppreſſione, nonnullisq; poſtremò gravioribus ſimptomatis eam excipientibus, jam proximè reſtat expli-

candum, quo ritu & quibus medicamentis ac adminiſtrationibus data in vaſis menſtrua congeries ſtatuto tempore, aut eâ quæ temperaturæ ac conſtitutioni cujuſque competit quantitate ex utero non prodiens, eliciatur.

Quo congeſta in vaſis menſtrua ſuperfluitas, in fluxum moveatur, & excernatur; requiritur ut ſalſoacres purgaminis uterini collecti in vaſis particulæ ab involventibus lanuginoſis expediantur, & ſui juris fiant, quarum ope quid febrile ſeu fermentatio naturali paulò major, in ſanguine excitetur, ac poſtea ut excitatæ glandulas uteri patulas & pervias habeant, demùm ut excitata fermentatio in ſanguine naturali paulò major ad totalem uſque purgaminis uterini in vaſis collecti excretionem perſeveret cum graduali, pro ejuſdem excretione, imminutione: eâ enim velociùs ceſſante, extricatæ purgaminis uterini ſalinæ moleculæ, rursùs intricantur & in inactionem coguntur, unde illud non eâ quâ par eſt copiâ affluit in glandulas uteri, quibus proinde detumentibus, ceſſat compreſſio venularum proximarum & latera earum divulſarum in ſeſe concidendo, ſanguini excitum claudunt, & menſtrua deſinunt fluere citiùs quàm decet, ideſt, priuſquam totâ ſuâ quantitate fluxerint. Quare quando datâ in vaſis menſtruâ ſuperfluitate,

ſalinæ purgaminis uterini congeſti particulæ ſui non evadunt juris, adeóque non excitant quid febrile in ſanguine, vel ſui factæ juris glandulas uteri non comperiunt pervias, vel utroque ſe habente, quando ab incœpto opere ob ſupervenientem ſeu fermentationis menſtruæ ſubitam ſedationem ſeu glandularum uteri obſtructionem dimoventur: curandum Medico ut in actum adducantur, obſtruens glandulas uterini mucus ſolvatur, vel emortua ac extincta menſtrua fermentatio reſuſcitetur. Hæc omnia obtinentur auxiliis menſtrua cientibus, emmenagogis nomine dictis, & alia ſunt interna, alia externa, de quibus ordine dicemus, ac primùm de internis.

Interna ea ſunt quæ impetum dant ſanguini, eumque conſtrictum aperiunt, adeóque ſalia acria tum fixa tum volatilia & aromatica; & juxta Etmuller. in colleg. pract. ad inſtitut. ut plurimùm inſigniter amaricantia: non tamen quæcumque (ſed dicente Sylvio Delboë method. Med. lib. 2. cap. 17. de menſtrua evacuantibus) *determinata & peculiaria: utique in curandis ægris non utimur medicamentis generalibus, ſed determinatis hâc vel illâ plantâ.* Simplicium ſylva videri poteſt apud eumdem loco citato, apud Sennert. in inſtitut. apud Roder. à Caſtro cap. de ſuppreſſ. menſ. & alios authores. Ex ſimplicium

unâ pluribus, paucioribusvè multifariæ concinnantur præparationes, in ſolidâ liquidâvè formâ, inter quas majorem ſibi famam apud practicos, ex efficacia ſibi conciliarunt ſequentes: Pulvis dialauri, diaboracis Minſichti, pulvis dominarum Foreſti, reginæ pharmac. Bruxell. pulvis ad menſtrua Timæi, cachecticus Q. pilulæ de ariſtolochiâ Fernelii, trochiſchi de mirrhâ, electuarium ruthæ, tragæa Coſteri, quam ſæpiùs ſabubrem, expertum ſe teſtatur Walſmiedt caſu de ſuppr. menſ. decoctum ſplenis bovis qui juxta Etmullerũ menſes ſtimulat ratione virtutis fermentativæ ſanguinis in ſplene reſidentis, decoctum ad obſtruct. menſ. D. Jungken infuſum marrubii albi in vino quod triduo epotum, Borellus cent. 4. obſ. 14. ad menſtrua cienda innumeris ſe comprobaſſe experientiis teſtatur, elixir pptis ſine acido, ad menſes Michaëlis, uterinum Jungken, eſſentia uterina ejuſdem, tinctura ſabinæ, ruthæ, cortic. aurant. antimonii ex ſcoriis ſalis tartari, mirrhæ, caſtorei, croci, ſuccini cum ſp. ſal. armoniac. parat. aqua vitæ mulier. hyſterica, carminativa Sylvii, ſpiritus Tanaceti, ſecundinæ, ſalis armoniaci ſimplex & caſtoriſatus, ſalis vol. oleoſ. uterinis paratus ſpirit. tartari, & variæ chalybis præparationes, nonnullas deſcriptiones hic apponere placet.

Pilulæ ad menſes Sylvii Delboë.

Rec. Gum. ſagap. cum acet. ppt. drag. ſ. chalyb. ppt. ſuccin. alb. croc. borac. venet. ana. ſcr. 1. mirrh. caſtor. ana. ſcr. ſ. ol. caryophill. gutt. 6. cum veſicul. congr. f. pil. nro. 40. capiat ægra cubitum itura quotid. ʃ. Illæ Sylvii pilulæ prout ſequentes plurimo mihi uſu comprobatæ ſunt.

Rec. Rad. ariſtol. leviſtic. ana. dr. 1. rad. aron. enul. camp. angelic. ana. dr. ſ. flor. ſal. armon. martial. ſcr. 2. ſal. ſuccin. vol. ſc. 1. mirrh. croc. caſtor. ana. gr. 15. ol. caryophill. ruth. ana. gutt. 3. cum ſ. q. tinct. tart. f. pil quarum ʃ. veſpertinis 3. aut 4. ſub ingreſſum lecti ſumantur.

Hos etiam morſulos præ multis experientiis non ſatis laudare poſſum.

Rec. Croc. mart. aperit. dr. 6. flor. ſal. armon. mart. ſcr. 4. pul. diaron. Q. S. ſacch. dr. 2. croc. macis. caryoph. ana. ſcr. 1. ſacc. albiſſ. unc. 7. M. & cum mucilag. quodam f. morſuli dr. 2. ſumendi 4. hor. ante paſtum, ſuperbibendo hauſtum vini albi ac dein ambulando per horam.

Hunc pulverem ſæpè fidum expertus eſt Henricus ab Heers obſ. fol. 78.

Rec. Rad. rubiæ dr. 1. ſ. ſal. ſabinæ muſcerdæ ana. ſcr. 1. croc. ſcr. ſ. ſpec. aromat. roſati, ſcr. 1. macis, fol. laur. ana. drag. ſ. borac. rad. enul. campan. ana. dr. 1. limati chalyb.

drag. ℥. ſacchari duplum omnium, M. doſis drag. 1. cum vino albo dulci.

Antimonium diaphor. fixum ad expellendos menſes etiam efficax eſſe probè dicit Hartmannus prax. chymiatr. cap. de cachex. Si ejus doſis uſitata quotidie cum guttis aliquot eſſentiæ mirrhæ in aq. arthem. exhibeatur.

Emmenagogorũ numero jure accenſentur purgantia, ſiquidem ſanguinem exagitando, latitans in ejus ſinu purgamen uterinum ſui juris facere & ad ſua cola dirigere valeant: Plurima enim experientia compertum habetur, exhibito laxante, menſtrua inexpectata, aut tardantia prodire, in fluxum accita fuiſſe. Convenientiora autem ſunt, fol. ſenn. agar. aloës. helleb. nigr. diagr. rad. & reſ. jalap. & inter illa colokint. quæ omnium Scriptorum conſenſu menſes potenter movet. Purgantium anima aſſignatur mercurius dulcis, qui nedum vitioſam ſanguinis cohærentiam tum gravitatis ſuæ momento tum tenuitate ita diffringit & ſegregat, ut purgamen uterinum in ejus ſinu latitans, in libertatem exeratur: ſed etiam acidos aculeos, viſciditatis ſæpiùs reos retundit & obſtructos glandularum uteri ducticulos ſolvit: quæ tamen purgantia citiorem effectum editura ſunt ſi ſpecificis uterinis maritentur, & conveniunt ubi menſtruis ſuo tempore lati-

tantibus, alvus aſtringitur, vel primarum viarum impuritas adjungitur. Aptioribus per experientiam notis interſunt hiera picr. gal. cujus drag. 1. ad 1. ſ. & 2. exhibitâ, menſtrua elici multoties vidimus, item pil. de ammon. Q. ruffi, fœtid. major. de galban. Syl. & ſequentes D. Deckers exercit. pract. fol. 108. Rec. Maſſ. pil. tart. Q. pul. caſtor. ſal. ſuccin. vol. ana. ſcr. ſ. extr. fol. ſenn. reſ. jalap. colokint. ana. gr. 15. ol. ſuccin. ſabin. ſtillat. ana. gutt. 3. M. f. nro. 21. quarum 5. aut plures veſperi poſt cœnam inſumantur.

Aliæ Rec. Extr. helleb. nigr. ſcr. 1. gum. ammon. in gutt. ſcr. 2. ſ. merc. dulc. drag. ſ. troch. alhand. ſcr. 1. mirrh. caſtor. croc. ana. gr. 8. ol. ruth. cort. aurant. ana. gutt. 3. M. & cum tinct. ſal. tart. f. pil. nro. 25. & exhibeantur ut ante.

Hæc opiata Helvetii tractat. gallic. de morb. ex meâ experientiâ, præſtantiſſima eſt.

Rec. Conſ. flor. enul. camp. unc. 1. conſ. alkerm. dr. 2. croc. mart. aperit. un. ſ. gum. ammon. antihect. Poter. croc. or. dr. 1. ſal. abſynth. dr. 1. ſ. panac mercur. diagr. ana. ſcr. 2. extr. rhabar. & agar. ana. dr. 3. cum ſyr. abſynth. q. ſ. f. opiata rur. pul. kinkin. etiam cum fructu addi poteſt: kinakina enim ſanguinem in texturâ compactiorem validè reſolvit, & ita recrementum uterinum in

ſanguinis

anguinis ſinu involutum evolvit & in actum
ogit, idque patet ſale acri amaro quo ſcatet,
patet & experimento ſequenti: injecto enim
lecocto kinæ kinæ in jugularem canis ve-
am, duabus vicibus ad unc. 2. poſt horæ
quadrantem validâ ac crebrâ cordis pulſatio-
ne ac dein ſpaſmis crebris correptus obiit te-
anodes, & ſectâ poſt mortem venâ crurali &
xillari, exiit ſanguis rutilans & liqueſcens,
ectâ pariter venâ portâ & jugulari liquidus
effluxit & ſupra naturalem ſtatum rarus.

In præcedentium remediorum quædam
monita notatu digna ſeſe offerunt; primum,
nunquam utendum emmenagogis in fœmi-
nis quæ ex ſuppreſſa menſium purgatione
nullum ſentiunt incommodum, ac in maci-
entis, obœſis & convaleſcentibus in quibus
nulla datur menſtrua ſuperfluitas, & in iis in
quibus per nares, aut hæmorroides multum
anguinis evacuatum eſt, nec pariter uten-
dum emmenagogis in quibus evacuatio per
renes aut cutis poros notabilis evenit, nec
in cachecticis, in quibus priùs ſanguis redun-
dante cruditate liberandus eſt & erigendus.

Secundum, Menſes cientibus oportere
multum humiditatis adjicere, menſes enim
cientibus quæ nihil ſunt niſi attenuantia &
aperitiva aſſociandum eſt vehiculum quo
ſanguis inciſus & in compage reſeratus di-
luatur & extricatum purgamen uterinum, in

ejus ſinu aberrans, in ſuum munus expediatur. Hujus præcepti meminit Rondel. de medicam. intern.

Tertium in menſes cientium exhibitione à levioribus eſſe incipiendum, ad validiora ſenſim progrediendo.

Quartum, ex Sennerto cap. de ſuppr. men. non credendum medicamenta menſes moventia, in omnibus cauſis ſuppreſſorum menſium utilia eſſe, cùm tum ſolùm conveniant cùm à craſſo ſanguine in cujus gremio purgamen uterinum à ſecretione reſiduum, in agens ſepelitur, malum habeat ortum: in aliis verò cauſis potiùs nocere quàm prodeſſe poſſunt, cùm omnia ſint calida & tenuium partium.

Quintum, non quovis tempore medicamenta hæc exhibenda, ſed in iis quibus menſtrua per aliquot menſes ſubſtiterunt, paulò ante id tempus quo fluere aliàs ſolent; & in iis in quibus ſolitum tempus præterierunt, citra eorumdem futurorum indicia, ad dies, puta, duos vel tres, eo ipſo tempore, ſi patiens tum medici conſilium ineat: quibus tamen balnea autalia de quibus proximè, præcedere vel cõjungi debent, ſi uterus ejuſque glandulæ mucoſõ humore obſideantur; nam ut recrementum uterinum in vaſis à ſecretione ſuperſtes ſuam cataſtrophen ludat; opus eſt ipſi internis poſthàc, à compedibus extricando aut

n ſuum opus ſegniori ſtimulando, viæ eddantur meabiles, ſed dicente Sennerto, oco priùs allegato, poſt ſumpta talia medi- amenta vtile eſt pedes in aquam calidam, ræcipuè in quâ herbæ idoneæ priùs coctæ uerint, immergere,& deinde inambulare, ic vis internorum acuitur.

Sextum, in bilioſis ac melancholicis tem- eramentis blandiora tantùm ac temperata ſſe exhibenda: in pituitoſis verò ac phleg- naticis validiora locum tenere: quia enim ullum eſt remedii genus quod eandem exe- at vim in omnibus ac ſingulis; ea ſeligenda int quæ temperamentorum, imò regionum, tatum ac victûs diverſitati congruant: ſub- ectum enim patiens cum objecto agente onferri debet, quâ circumſtantiâ abjectâ on mirùm ſi tam ſæpè res præter ſpem eve- iat, utique cum ſummo plerumque labo- antis damno.

Hæc ſufficiant de internis emmenagogis uibus uterinum recrementum in ſanguine ræter morem deliteſcens, in libertatem ac- erſitur, ſuccedátque menſtruatio, modò terus ejúsque colatoria mucoſitate non ob- deantur. Raro enim nec niſi difficilè adhæ- entem utero ejuſque colis mucoſitatem, in- erna diſſolvere valent ob difficilem ad uſque terna uteri circuitionis viâ penetrationem. æc operatio competit tantùm externis ex-

ceptâ venæ ſectione, quæ etiam tollendis uteri difficultatibus fruſtranea eſt.

De externis jam ſermo inſtituitur, & eorum numero accenſentur balnea, fomenta, ſuffitus, peſſi injectiones per metenchriten in uterum, enemata ex uterinis parata: via enim brevis eſt per collum uteri externum ad internum per quodvis aromatica, & volatilis plantarum ſpecificarum facilè penetrat & paulatim obſidentem mucum ſolvit, adeòque fluxilem facit & aptum ut purgamini uterino in vaſis ſubſiſtenti & exitum ad menſtruationis negotium ambienti locum cedat.

Balnea cæteris externis prædominantur bino de nomine; primò quia dum mulieres ſupra umbilicum ſaltem inſident, illa ſeſe humiditate ſuâ inſinuant per externum uteri collum in internum & ipſum uterum: parte volatili quâ turgent, humorem glutinoſum, tam crebrò internæ uteri ſuperficiei adhærentem interſertasque glandulas obſtruentem ſolvunt ac colliquant: unde recremento uterino in vaſis ſubſiſtenti & in exitum nitenti, exitus liber per propria cola procuratur. Secundò, quia balneorum calore & miaſmatis volatilibus per poros corporis, intus ſeſe ingerentibus, pigrior ſanguinis fermentatio ad menſtrualem ſtimulatur & adigitur.

Balnea erunt thermalia vel ex aqua & plantis aromaticis uterinis incoctis quibus

proficuè adjiciuntur emollientia quædam: Sic humor glutinoſus uterũ obliniens ejuſq; glandulas obſtruens faciliùs ſolvitur & defluit, ſiccior etiam uterus humectatur & emollitur: ita ut inde glandulæ affatim inſertæ, compreſſivæ diſtentioni & vaſcula intercurrentia compreſſioni recipiendæ paratiora fiant. Balneo monente Sylvio lib. 2. de meth. med. cap. de menſ. evacuantibus, aliquid vini generoſi non aſtringentis, vel ſpiritus vini volatilis inijci etiam convenit, unde cæterorum aromatum vis promovenda eſt. Quantùm ciendis menſibus valeant balnea? colligitur ex Riverio qui de chloroſ. aliquando ſe vidiſſe refert quibuſdã ægris menſtruas purgationes in 3. aut 4. balneo profluere incepiſſe: cujuſmodi pariter exempla thermæ Aquiſgranenſes quotannis innumera ſubminiſtrant.

Balneis calentibus utantur fœminæ ipſisq; inſideant bis in die, longè à paſtu atque ultra medium ventrem ſaltem immergantur, nec tamdiu illis immorandum uſquedum ſudetur; quia purgamen uterinum in vaſis congeſtum, ſudoris formâ abſumi poteſt, quam diſſipationem ſequetur menſium emanſio, quod annuit Joh. Michaël cap. de ſupp. menſ. dum ſcribit, *Per ſudorem tenuiorem abſumi ſubſtantiam, quâ ratione quoque balnea menſium ſuppreſſionem producere poſſunt.* In

ingreſſu aut egreſſu balnei interna eſſe exhibenda notat Riverius cap. de ſuppr. menſ. *Ita enim* (infit Author) *in calidum ac ſolutum corpus incidens medicina, vires ſuas potenter exerit.*

Menſes ſuffitu aromatum educi docet Hippocr. aph. 28. alius ſiccus eſt, alius humidus, hicque nomine vaporis habetur & paratur ex decocto hyſtericorum, præſtantiorque evadet, addito ſale armon. vel alio præſtantiſſimo. Siccus ex aromaticis uterinis pulveratis, quibus ſi addantur gummata, promptior pituitæ obſtruentis glandulas uteri ſolutio ſuccedit, & hic prunis ardentibus inſpergitur, fumúsque aſſurgens in ſellâ perforatâ undique clausâ excipitur per pudenda: alter verò humidus, vapores emittit qui ex decocto aſſurgentes, pariter in ſellâ patente pudendis excipiuntur, ſicque ad uteri penetralia inſinuantur, & particulis ſuis ſalinis volatilibus obſtruentem mucum incidunt & liquant.

Ut ſuffitus ſeu humidus, ſeu ſiccus in uterum faciliùs & ſecuriùs pertingat; conceptaculum operietur patellâ perforatâ, cui annectetur fiſtula oblonga, quæ collum matricis attingat, excipiat fumum ægra manè & ſerò veſtibus obtecta. Hartmannus in praxi chym. cap. de ſupp. menſ. Suffumium ex decocto ſcoriarum reguli artimonii, meritò

jactat: ſi nempè lixivium decocti ſcoriarum reguli antimonii quantitate 2. vel 3. cochlearium, ſilicibus injiciatur ignitis, & ita excipiatur fumus aſcendens intra muliebria dilatatis cruribus per infundibulum. Deckers in notis ad Barbette, illius ſuffumigii elegantiorem præbet deſcriptionem.

Methodus Dolæi encycloped. med. cap. de ſuppr. menſ. Ad inſinuandas intra uterum vapores non eſt temnenda: phiolam accipi præcipit cui infundatur aliquid de ſpiritu quodam volatili & aromatizato, & dein ore phiolæ linteis circumducto, illa admoveatur ſinui pudoris, corpus verò phiolæ imponendum carbonibus ut vapores ſpirituoſi reſolventes aſcendant.

Injectiones quoque intra uterum, ſuum habent uſum, quatenùs ſordes viſcidas uterum ac meatus glandularum inſertarum obſidentes attenuando & detergendo, pares ſint: parantur ex decocto uterinorum, ex acrioribus fieri non debent, talibus metus foret inflammationis uteri: ſtimulatione enim concitato in ſpaſmos contumaces utero, quies ſanguini affluenti dari poteſt, adeòque inflammatio.

Peſſarium eſt remedium, formâ ſolidum, oblongum, rotundum, ad figuram & molem digiti compoſitum, quod vulvam muliebrem intromittitur, componitur primò ex

Goſſypio in prædictam formam concinnato, oleis vel unguentis aromaticis peruncto: Secundò, ex panno lineo aut ſerico, in quo includitur materia uterina: Tertiò, ex ipſis pulveribus emmenagogis, in formam ſolidam compactis. Formulas hîc annotare nil opus eſt, quippe quibus farciuntur libri Medici & Pharmaceutici.

Circa horum externorum uſuram, hæc perpetuò obſervanda dantur: Primò, cuilibet peſſario filum appendi debere ut extrahi poſſit. Secundò, nunquam virginibus immittendum, ne frangatur virginitatis clauſtrum; cæteris nuſquam; niſi quando maximè neceſſarium ob pudoris & pollutionis metum. Tertiò, priuſquam peſſus immittatur, alvum ſubducendam eſſe & excludendam urinam; oportere etiam ut præmiſſa fuerint univerſalia. Quartò, ſi poſt peſſos acutos, dolor relinquatur in vulvâ; ſtatim ſubmittendum licinium cum oleo violar. vel amigdal. dulc. vel diſtemperatum cum mucilag. ſpylli, vel cydonior. ne fiat exulceratio. Quintò, ſi ſint fortes, non retinendos eſſe ultra horam, debiliores verò per integram noctem. Sextò, peſſos communiter poſt balneum immitti debere.

Hoc autem ritu peſſi in menſium evocatione operantur, illi in vulvam immiſſi, calore partis concaleſiunt, proinque emittunt

ex ſe exhalationes in uterum, ſuo mixto analogas, quibus mucus uterum obducens ejúsq; glandulas obſtruens reſolvitur.

Poſtremò obſervandum injectiones intra uterum, nuptis & viro utentibus dumtaxat præſcribi debere, virginibus verò balnea, inceſſus & ſuffumigia ſufficere.

Duæ adhuc nobis ſuperſunt auxiliorum ſpecies quibus menſes in fluxum vocantur: Prima, ſunt Clyſteres per anum injecti, qui ex volatilibus plantis uterinis componuntur, additis ubi pigra eſt alvus purgantibus, ſed paulò calidiores injici, tum etiam diutiùs retineri debere, doctè monet Deckers expertiſſimus exercit. pract. cap. de cliſter. exhalante enim ex cliſteribus injectis, ad vicinium, ſalinorum volatilium examine, obducens obſtruensque uterum pituita ſolvenda eſt, & viæ evadunt recremento uterino perviæ, ita ut menſtrua brevi aliquando ſubſequantur; inſuper eodem Authore, ab acidis auſterisq; humoribus ſi producta ſit menſtruorum ſuppreſſio, itidem enemata conveniunt ex volatilibus & appropriatis imprimis ſi ſint confecta: quia humores acidi auſterique halitibus vaporibúsque blandis volatilibus ex injectis enematis, elatis temperentur & corriguntur, ſicque facilior oritur menſtruorum ſuppreſſorum cura, quin imò & menſtrua fermentatio ſuſcitari valet. En Cliſteris

formula ex Authore deſumpta & elegans.

Rec. Fol. malvi, mercur. arthemiſ. ana. m. 2. flor. camomill. m. 1. Baccar. laur. unc. ſ. ſem. carui, cumin. ana. dr. 2. conciſa & contuſa coq. in ſ.q. aq. in colat. un. 8. diſſol. elect. diacath. unc. 1. ſ. de bacc. lauri un. ſ. ſal. gemm. dr. ſ. m. f. clyſte. paulò calidiùs injiciendus.

Secunda ſpecies eſt venæ ſectio, quâ in pede celebratâ menſes perſæpè in fluxum adduci obſervatur: ſiquidem inde cum ſanguine recrementum uterinum in ipſo coexiſtens ad uterum ubertim determinetur. Verumtamen quoad illam plurima diligenter & attentè advertenda ſunt, ac primò videndũ utrùm ſanguis menſtruus verè ſit in vaſis congeſtus? utrùm etiam menſtrua ſanguinis congeſtio, mera ſit cauſâ ſuppreſſorum menſium? Si menſtrua ſanguinis congeſtio non reperiatur in vaſis, dicente Sylvio lib. 2. method. medend. cap. 17. annuente etiam ratione atque experientiâ. *Quoties vena ſecatur niſi concurrat phletora, toties plus detrimenti quàm emolumenti adfert fœminis venæ ſectio: quippe quæ minuendo ſanguinem laudabilem copiâ non excedentem, mulieres tantùm debilitat, neutiquam deſideratum fluxum reſtituit.*

Si tantus ſit phletoræ gradus ut exin fœmina ſuppreſſos menſes patratur, diſtentis inde ita venulis, (quæ arteriarum munerum, oculata teſte autopſiâ, maximè ſuperant,) ut

proxima uteri cola, inſtrumentale fluendorum menſium organum, nitenti in ſecretionem recremento genuino non ſint permeabilia: hoc eventu vena in brachio tundenda eſt, ut per eam ſumma plethora imminuatur, ac ſi die poſt venæ ſectionem menſtrua necdum fluant & ſanguini nulla notetur adjuncta viſciditas, alia in pede celebrari debet, ut recrementum uterinum in vaſis collectum cum ſanguine ſimul ad uterum copioſiùs attrahatur. Hunc proceſſum Riverius cent. 1. obſ. 2. inculcare videtur de quo priùs actum, & Walſmiedt in Timæum lib. 1. caſu 12. clarè explanat, ubi ſcribit. *Semper probè differre debemus inter plethoram univerſalem & particularem: interdum enim ſupprimuntur menſes ob nimiam copiam ſanguinis ſeu phletoram, & tunc venæ ſectio in brachio fieri poteſt ut imminuatur priùs ſanguinis copia, ut deinde eò meliùs & faciliùs in pede inſtituatur menſesq; promoveatur*. Aliàs ſi neglecta in brachio phlebotomiâ, una in pede fiat, attracto inde ad uteri vaſa copioſiori ſanguine, augenda eſt compreſſio colorum uteri & ſupreſſio menſium in magis confirmanda, prout luceſcit obſervatione Riverii. Idem etiam ſenſit Amatus Luſit. curat. cent. 1. curat. 15. docetque ratio & magiſtra rerum experientia.

Secundò, ubi in pede venæ ſectio, menſium evocationi neceſſaria dijudicatur, priùs

ſanguis fluxus reddi debet, ſicut viæ recremento uterino meabiles: quod docet Heurnius lib. 2. method. ad prax. cap. 14. ubi dicit: *Obſervandum in menſium evocatione, ubi phlebotomiæ locus eſt ut diebus 6. vel 8. antequam uſus ejus ineatur: mulieris ſanguis fluxus reddatur ac meabiles viæ.* Riverius etiã cap. de ſupp. menſ. illud idem in mandatum tradit, ſando *Prædicta medicamenta* (loquitur de menſ.cientibus) *eſſe exhibenda vel horis matutinis jejuno ventriculo vel etiã aliquando in ingreſſu & egreſſu balnei* (quod notetur de internis) *ita enim in calidũ & ſolutum corpus incidens medicina, vires potẽter exerit, et multò adhuc efficacius* (quod hic facit) *ſi ante venæ ſectionem inferiorũ venarum illa exhibeantur.*

Tertiò, quia venæ ſectio in pede celebratur, non tollendæ menſtruæ plenitudinis ergo, ſed ut unà cum ſanguine, recrementum uterinum in vaſis collectum. copioſiùs derivetur uterum verſus intra ſua cola vel ex ſe libera, vel prioribus ſubſidiis ita facta pro obeundo menſtruationis opere, hinc non larga eſſe debet: ſiquidem tali, tantum ſanguinis mitti poſſet, quantum fortaſſis per uterum excernendum foret, & nulla daretur menſtruatio cum purgaminis uterini collecti retentione, ex quâ plurima mala oriunda ſunt. ſed parcâ manu & pro neceſſitate reiterari debet, ad imitationem Riverii, qui

cap. de Chloroſ. dicit: *Poſtridie ultimi balnei, ſi ſupreſſio menſium adfuerit aperiantur venæ inferiores & emittatur ſanguis ad unc. ℥. idq́ bis aut ter repeti poteſt*. Nicolaus Cheſneau obſ. lib. 3. cap. 12. id ipſum expreſsè monet. *Quia* (infit) *venæ ſectio malleoli fit tantùm ratione motus ſanguinis ad partes inferiores, non autem ratione vacuationis*. Eam ob cauſam venæ ſectioni in pede vicaria eſſe poteſt hirudinibus hæmorroidum apertio, cujus evacuationis mirum & promptum ſe vidiſſe effectum teſtatur Theod. de Mayerne prax. med. lib. 3. Imò etiam cucurbitularum coxis & femoribus applicatio cum ſcarificatione.

Quartò, ante venæ ſectionem, alvum pigram eſſe ſolvendam mandatur: evacuata enim alvo, tranſgreſſus ſanguinis ad inferiora facilitatur.

Quintò, monente Paulo Ægineta & Mercuriali, ſanguinem non eſſe mittendum ante tempus menſtruationi conſuetum, ſed mittendum diebus aliquot poſt idem præteritum, quod intelligendum de iis quæ jam vectigal menſtruum ſolverunt: in aliis autem docente Riverio cap. de Chlor. adſtipulante quoque rationali praxi, quibus nunquam fluxerunt menſes, mittendus eſt ſanguis quo tempore ægra gravius laborare ſolita eſt, tumque majori copiâ quàm ſi menſes per uterum certò forent fluxibiles, pleni-

tudini etiam menſtruæ reſpondente. In monito etiam habeatur, eam venæ ſectionem quæ in nunquam menſtruatis inſtituitur, non egere præcedaneo internorum menſes-cientium uſu, à quibus intendi non poſſet menſtrua fermentatio citra febris, vel alius affectus periculum : ſed egere ſubſequente purgatione, & pro re natâ diuretico aut ſudorifero ut ſuperſtes in vaſis purgamen uterinum evacuetur, & ſic totaliter fluxus per utetum defectui ſuppleatur. Lindanus ubi menſes inſtant, nondum tamen fluunt, venam ſecandam ſuadet in brachio, in pede verò nunquam ſecandam eſſe venam cenſet, niſi menſtruatio actu fiat, aut ipſe fluxus ſuppreſſus fuerit. Hoc mandatum quoad ſecundam partem veriſſimum eſt, quoad primam autem diſtinguendum. Si ſumma ſit phletora menſtrua, experientia Riveriana & aliorum docet in brachio ſecandam eſſe venam, ſi è contra moderata ſit non exceſſiva; vena certò & tutò in pede ſecanda, quâ ſectione purgamen uterinum ad ſua cola largiter rapitur & ſubſequi menſtruationem ſæpenumero obſervavimus : utique in ſummâ phletorâ apertâ venâ brachii, ſanguinis turgentis ſurſum nonnihil revellitur, liberantur viæ ſeu cola uteri ab oppreſſione, & recremento genuino in ſecretionem nitenti, dehiſcunt.

In coronidem hujus Capitis unum quod habet Franc. Joël lib. 8. ſect. 2. cap. 4. cuncta reſpiciens addere libet; nimirùm, *Si primo menſe curatio non ſuccedat, nec menſes elici queant, eadem remedia ſequenti menſe, ubi tempus profluvii conſueti inſtat, reiterari debere.*

CAPUT V.

De Menſium paucitate.

MEnſium paucitas dicitur, quando eorum fluxus obſervatur quidem, ſed minore quàm fieri ſolet ac debet quantitate; talis autem obſervatur duplici de nomine. Primò reſpectivè ad materiam menſtruam, quæ parciùs cumulatur adeòque parciùs conficitur in vaſis. Secundò, quia eadem utcumque ſufficienter in vaſis cumulata & elaborata, ſuo tempore tota quanta eſt ac debet, non effluit, ſed inter effluendum, partim ſubſiſtere cogitur in vaſis. Materia menſtruorum paucior cumulatur & proindè conficitur in parciùs viventibus, à morbo reſurgentibus, laborioſè ſe exercentibus, quadragenariis, & quibus menſtrua incipiunt ſpontè ſiſti & in

totum deficere, demùm in gravidis, primis potiſſimùm geſtationis menſibus. In parciùs viventibus & à morbo reſurgentibus quia diæta quæ obſervatur necdum plenior eſt, vel datâ aliàs pleniori victitatione, ſanguis in ſuo motu fermentationis adhucdum torpidior eſt, quàm ut provenientem ex alimentis uberem chylum in ſuum eſſe, totum immutare queat. In quadragenariis & vetulis, quia priorum annorum decurſu, ſanguis principiis activis, bonam partem depauperatus, fermentum ventriculo miniſtrat digeſtioni alimentorum minùs expeditum, undè chyli proventus minui non poteſt quin parcior ſolitò ſanguinis ſociiqúe recrementi uterini copia generetur & ſuperfluat in vaſis: in geſtantibus utero, in quibus etiamſi poſt conceptum, menſes ordinariò ſubſiſtant, nihiloſeciùs tamen in quibuſdam ad medium geſtationis tempus, ſive quartũ menſem, conſuetam ſervant periodum aut ſaltem primis duobus menſibus, utcumq; ſœpiùs minutè: & ratio eſt, quia humiditas alimentoſa quæ conſervationi individuali geſtantis ſupereſt, & in alienam utilitatem, fœtus ſcilicet nutritionem congeritur, tota in uſum fœtus adhuc teneriuſculi & minimi, cùm abſumi nequeat, cum ſanguine circumacta menſtruorum, ſed pauciorum geneſi inſervit.

Menſes

Menſes in fluxu ſuo cohibentur ut partim ſubſiſtant in vaſis commiſſo in ſex non naturalibus errore, v. g. ſuſcepto incautiùs frigore, abuſu ciborum viſcidorum, auſtero acidorum, potu refrigerante, acido, ſomno diutiùs protracto, repentino terrore, ſummo mœrore, &c. Plura extant in Authorum monumentis exempla, minutæ menſtruationis pendentis à cauſis proximè prænotatis cum gravium ſimptomatum ſucceſſione. Foreſtus lib. 28. obſ. 2. refert *Fœminam tempore fluentium menſium, in aquam poſt puerum demerſum ſe dejeciſſe cui menſes ſubitò reſtricti fuêre.* Et in Scholio obſ. 3. ſic ſcribit. *Puella quædam cùm ingens æſtus eſſet dum menſtruas purgationes experiebatur, in maximâ copiâ bibit aquam frigidiſſimam, unde non ſolùm menſes reſtricti ſunt, ſed mox ſimptomatis gravioribus, eandem apprehendentibus, lotium planè reſtrictum fuit, & incidit in Syncopen tanquam è ſanguine concreto, ita ut nulla remedia quamvis apta ab ipſo exhibita profuerint, ac puella vix quatuor aut quinque dies ſupervivens extincta fuerit.* Timæus lib. 4. caſ. 4. refert, *Ruſticam fluentibus menſibus, tempore meſſis, laboribus ruſticis incaleſcentem, copioſâ potatione profluentis, in atrociſſimos uteri dolores incidiſſe, fluxu ſanguinis menſtrui penitùs ſuppreſſo.* Idem lib. 7. caſ. 7. narrat uxorem piſcatoris ordinario fluxu laborantem, ex

lapſu in profluentem, paulò poſt ſupreſſos habuiſſe menſes cum ſubſequente pleuritide. *Vidi* (inquit Walſmiedt in notis Timæi lib. 4. caſ. 4.) *ancillam quandam quæ occupata lavandis linteis, fluentibus menſibus, intravit aquam frigidam, unde correpta fuit ſuffocatione hyſterica & per triduum jacuit, ablatis omnibus ſenſibus.* Hæc exempla recenſuiſſe decuit ad monſtrandum quantum mulierculæ menſibus in fluxum adductis, ſibi cavere debeant à cauſis prænotatis ac aliis ejuſdem generis, quibus menſtrua turgeſcentia, ſubitò potenter concidit ſuccedente majore vel minore ſanguinis coagulatione, moleſtorúmque accidentium catervâ pro cauſæ vehementiâ.

Diagnoſis ex patientis relatione habetur, cauſarum verò indicia hæc ſunt. Si menſtruis parcè fluentibus, nil obveniat mali, ſignum eſt gracilitatis, paucioris nutritionis, grandioris ætatis, vel gravitatis, nec opus eſt medicis auxiliis. Sin cum ſanitatis læſione, indicatur fluxum non reſpondere quantitati menſtruatim ejiciendæ, & inquirendum Medico de iis quæ tempore fluentium menſium geſta ſunt.

Pro prognoſi ex ſupradictis ſatis enitet quantum periculum inſtet ubi menſtrua in fluxum poſita ſubitò reſtingantur, humoribus enim abundantibus conſuetam evacua-

tionem, notabiliter deficere haud bonum, teſte Hipp.

Quoad curam, mulieres quibus minutè fluunt menſtrua cum ſanitatis conſervatione, Medici operâ non egent, quia menſtrua purgatio cumulatam quantitatem adæquat. Ubi venit ſuſpicio graviditatis cautus ſit medicus ne graviditatis ſimptomata ab illis quæ fluxũ pauciorem in non gravidis comitantur malè diſtinguendo, menſes quoquo modo in magis proritet: ſimptomata enim in utroque ſtatu ſunt nõ purum analoga, velut antea monſtratum eſt, unde opprobriũ inſcitiæ periclitatur.

Quando menſtrua erumpunt pauciora quàm expedit quantitati in vaſis exſtanti; quemadmodum hæc ſpecies poſterior convenit in causâ & productione cum ſuperiùs expoſitâ quâdam eorumdem ſuppreſſione, ita eâdem curari debet methodo, quare id Caput Lector repetat.

CAPUT VI.

De immodico Menſium fluxu.

SOlemne eſt in ſexu ſequiori, extra geſtationis & lactationis opus, ſtatis circuitibus ſanguinem ex utero effundere, & quando

tantùm illius maſſæ effunditur quantum pro allevando à plenitudinis menſtruæ incommodis; corpore hujusque viribus congruum; menſes juxta naturam fluere dicitur: Si è contrà accidat evacuationem illam tam uberem & largam eſſe, ut per illam de viribus evacuatæ aliquid detrahatur; præternaturalis & immodicus fluxus appellatur. Evacuatio namque menſtrua in eum inſtituta eſt finem ut allevetur fœmina, non gravetur.

Purgamen uterinum periodicè in vaſis congeſtum, & exaltatum, aliquid febrile in ſanguineâ maſsâ producere ſupra evictum eſt, ac dein cùm nonnihil ſpumæ & abundanter intra ſua cola advehi, eadem impensè inflare & expandere. Hinc obortâ venularum interjectarum compreſſione, ſanguinem in motu progreſſivo præpediri nequire quin vaſa ad diſruptivam intumeſcentiam efferantur ex quorum hiatu menſtrua ſanguinis eluvies erumpit, quod poſtquam effluxit eâ quantitate quâ ſuperabundabat, unà cum recremento uterino proportionaliter collecto, glandulas uteri detumeſcere & proindè ceſſare compreſſionem. Si tum vaſorum oſcula in ſeſe collabeſcant, & occludantur cum coalitu, fluxus habetur ſalubris & commodus. Sin vreò vaſa aperta remaneant, fluxus perennatur; & quantitatis debitæ modum excedit, ita ut per eam continuam evacuationem, vires

evacuantis fœmellæ debilitentur. Ex his evidenter liquet eſſentiam formalem hæmorrhagiæ nimiæ uteri conſiſtere in pertinaci vaſorum apertura. Unde verò illud fiat? jam indagandum.

Quò ſemel recluſa vaſa ſeu divulſa occludantur, & coaleſcant; opus eſt potiſſimum mutuus ad invicem fibrarum divulſarum contractus atque mutua quies: hiſce de nominibus hæmorrhagiam pulmonarem morbum curatu adeò difficilem exiſtere communis eſt obſervatio, in quantum ſcilicet pulmonum munus in motu perpetuo perſiſtens, continui ſoluti reunioni & coalitioni ad quam imprimis mutuus contactus ſedatio & quies requiruntur, omninò contrarium eſt. Requiritur inſuper glutinis nutritii partes ſolutas & in contactum mutuum poſitas, unientis, laudabilis conſtitutio. Quare quicquid eſt obſtaculi quominùs divulſæ vaſorum uteri fibrillæ in ſeſe invicem coincidant, imò in ſeſe coincidentes, in quiete maneant, vel ipſis mutuæ coincidentię paratis & quieſcentibus ſi gluten nutritium coalitui pręſtando ineptum ſit: id omne immodicæ uteri cruentæ purgationis reum arguendum eſt.

Sub hâc claſſe venit ſanguis in nimio poſitus orgaſmo vel ſalibus nimiùm onuſtus, vel aquoſus & dilutus, vel ſanguine aliàs bene ſe habente, nimia corporis agitatio

vel copioſior ſanguinis, ob datum in viciniâ præpedimentum, ad uterum derivatio.

Verùm enim verò ſanguis nimio orgaſmo laborans, ſeu fermentantior, ampliùs in vaſis ſpatium exigere nequit, quin illa in majorem circumferentiam efferantur, cujus ratione proindè fibrillæ illa contexentes ſi divulſæ fuerint, à mutuo contactu eminùs non removeri non debent, unde ſanguis dato perenni foras emiſſario, in evaſatione perennare cogitur.

Sanguis acrimoniâ præditus, inter effluendum diſcluſas vaſorum fibrillas, calcaribus ſalinis quibus ſcatet, in ſpaſmos perpetim irritat, ſicque tollitur quies coalendo adeò neceſſaria, & quâ datâ portâ liberâ ſanguis erumpere nõ deſinit: ſuas enim talis ſanguis, in ſinu gerit claves quibus patentes tuetur ſibi vias, & ſic ſpaſmodicè irritando nedum emanat, ſed ſæpè cum impetu proſilit.

Sanguis ſeroſus vel quia ſerum reverà excedit proportionem quam naturaliter poſtulat reſpectu aliorum ſanguinis principiorum, vel quia ſerum non excedit quidem quantitatem naturalem quam obtinet cum reliquis principiis, ſed propter connexionem ac ſitum mutatis (qui ſtatus colliquationis nuncupatur cùm laxata ſeu reſolutà ſulphuris ac terræ compages in ſanguine locellos retentorios aqueo latici præſtare non

valeat) luxuriare videtur, præterquam quod eo ipſo quo diluitur ſero vel colliquatus eſt, præpediat coalitum partium ſolutarum, quatenùs ſiccitas non humiditas coalendo requiratur: gluten etiam nutritium fluxilius & propterea coalitioni ineptum miniſtrat: perpetim enim obſervatur advenientes continui ſolutiones in corporibus humidis ac iis in quibus quoquo modo fuſus eſt ſanguis, difficiliùs eſſe curabiles.

Motus corporis, ut motum ſanguinis diſpenſando non parùm auxiliatur, ita irrequietus non poteſt eundem non promovere: inter enim corporis exercitia, propter repetitas muſculorum actiones, ſanguis magnâ vi truditur è villis muſcularibus & quaſi molatur in iiſdem, unde motus circularis perinde ac inteſtinus notabiliter adaugendus eſt, quare vaſis exin validiùs impetitis & in cavitatem ampliorem, uberiori ſanguine atque fermentantiori adductis eorumdem latera diviſa à mutuo contactu perpetim removenda ſunt, adeòque ſanguis per perſiſtentem exitus locum proſilire non ceſſet neceſſum eſt, rurſum quis non videt? Oſcillationem villorum divulſorum perſtante corporis commotione, jugi ac perpetuam eſſe? quod penitùs eſt oppoſitum expetitæ ad mutuum contractum ſequacemq; coalitū, quieti.

Venæ regreſſivum ſanguinis motum ad

cor impediunt quatenùs ex naturâ facilè preſſiles, ab extra comprimuntur, haud verò ab intus obſtruuntur: obſtrui enim non patiuntur ex eo quod declinent, ex anguſto in latius, arteriolæ è contra obſtructioni ſunt magis comparatæ quàm compreſſioni quia denſioris ſunt fabricæ quàm venæ, & convergunt ex latiori in anguſtius. His ita poſitis aut potiùs compreſsè verificatis, vaſculum unum venoſum aut plura in quavis corporis parte comprimantur? ita ut arteriæ continuæ ſuum ſanguinem totum aut maximam partem in illas effundere nequeant; anne ſanguis arterioſus ob impeditum in ſua excipula meatum, tantò copioſior derivandus eſt in arterias ab eodem trunco circumcirca enatas & decurrentes, proindèque in venas illis ipſis continuas, quanta eſt illa ſanguinis quantitas quæ per impeditos venularum ramulos tranſmittendus erat. Cùm res ita ſit, datâ ergo in abdomine venularum compreſſione arteriæ illis continuæ ſuum ſanguinem exonerare coguntur in vicinas propagines ad uterum tendentes, quæ propterea copioſiorem in venulas revehentes dimittent: arteriæ enim utcumque venis minùs preſſiles, ſunt tamen flexiles adeóque in majorem amplitudinem copioſiori influo ſanguine ductiles, ſicque ſanguinem quâ admittunt copiâ, eâdem in continuas venas dimittant oportet.

Aſt verò ſanguis in venas uteri, niſu præcedentis arteriarum, copioſior propelli nequit, quin eaſdem proportionaliter dilatet, & in eaſdem gravet, quibus de cauſis diſcluſæ vaſorum uteri fibrillæ in mutuum contractum abire arcentur, & perennatur fluxus perſiſtẽte in vicinia compreſſione. Quicquid dictum de compreſſione venarum, idem dicendum de obſtructione arteriolarum ob derivationis ſimilitudinem.

Sanguinis etiam immodicè fluit ex utero, ubi ex diæreſi vel aliquo contundente, pungente aut erodente vaſa aperiantur, vel externâ violentiâ rumpuntur, ut clamore valido, vocis contentione, gravitate ponderis, ſaltu ac choreâ longâ præcipuè à balnei exitu initâ cùm tum molleſcant valdè partes & laxentur, item inſigniori in alvo exonerandâ, conatu ſternuatione crebrâ & ſimili in quo requiritur valida ſpiritus ſupreſſio, exin namque contracto fortiter abdomine, vaſa venoſa ſub eodem excurrentia, & præ arteriis ob tenuitatem compreſſilia comprimenda ſunt, unde ſanguis in motu progreſſivo præpeditur, vaſa proinde inflantur eodem continuò per arterias appellente, & ultra fluere cohibito ut tandem rumpantur modò in utero modò alicubi pro partis debilitate & diſpoſitione: *Illud enim*, doctè dicente Walſmiſdt in Timæum lib. 2. caſ. 1. *quod*

compreſſionem excitat, & ſanguinem reſtagnare facit, non ſemper opus eſt remaneat in parte aliquâ affectâ, ſed ſufficit, ſi per breve ſpatium manſerit, in momento enim motus progreſſivus turbari poteſt, & ſanguis extravaſari. Rem evincit tumore & inflammatione quem incuſſus aſperè colaphus relinquit. Interim hanc ſubitaneam regreſſus ad cor ſanguinis cohibitionem citior effectus ſequitur, ſi phletora adſit in vaſis, quin imò ſi menſtrua jam fluant, ob majorem quæ inde ſequitur vaſorum apertionem. Foreſtus lib. 28. obſ. 15. notat nimium menſium profluvium, venis uteri ex graviori ſublevato pondere diſruptis. Hildanus cent. 3. obſ. 58. dat exemplum cujuſdam phletoricæ, quæ cùm abſque causâ manifeſtâ, ſternutatione violentâ corriperetur, ita ut per quadrantem horæ ſternutare cogeretur, vixque halitum trahere poſſet; in menſtruationem incidit, quæ per duos menſes abſque ullâ ferè intermiſſione continuavit.

Claſſem eorum quæ ſanguinem calidiorem efficiunt, omnia ſubeunt quæ ad illius quomodolibet ſe habentis commotionem faciunt, ſuntque exedens potus generoſioris, alimentorum ac medicaminum acrium & aromaticorum uſus, qui profluvium cruentum vel præceſſit vel intereſt: Aer etiam aut à regione, aut ab æſtate, aut æſtuariis

fervidior, intempeſtiva balneatio in thermis, perturbatio animi vehemens, vigiliæ immodicæ, impenſa corporis exercitatio, intercepta etiam inſenſibilis tranſpiratio illæſo utero, cùm illa retenta in vaſis elementorum fermentabilium copiam augeat, nam *Si* rectè annotante D. Freind. emmenolog. cap. 9. *frigus illæſo utero, cæteras corporis partes repentè corripiat, fluxum, ſi jam adſit promovet.* Impedita enim perſpirationis materia, ſalibus volatilibus quibus conflatur, ſanguinem impensè rarefacit ac fermentat, ut non raro febrim accire videatur, ita idem Author, ibidem loci perhibet, ſæpè ſub fine profluvii fœminis quæ ſubiculas paulò humidiores induunt, uberiùs prorumpere menſtrua. Etmullerus conſultat. colleg. caſ. 31. facit hiſtoriam mulieris, cui, quia frigori externo jocantiùs ſe expoſuiſſet, retentionem inſenſilis tranſpirationis paſſæ, poſt graves dolores abdominis lancinantes & ad pudenda evagantes, copioſa ſupervenit uteri hæmorrhagia cum hoc incommodo ut ſubindè lancinantes graves abdominis adfuerint dolores ad ilia ſe protendentes quos major ſanguinis impetus excipiebat. Menſtrua etiamſi fluere ceſſaſſe videantur; ex frigore ſuſcepto per totum corpus, excepto utero, quandoque protinùs recrudeſcunt; quia divulſæ vaſorum uteri fibrillæ & in

coalitum progreſſæ, ob cicatricem recen-
tiùs inductam, momento ſanguinis ſalin-
perſpirationis retentæ particulis plus æqu-
rarefacti, cedere denuò coguntur & dive-
luntur. Fervidiorem quoque ſanguinem
præſtat latens in ſanguinis ſinu heteroge-
neitas, quæ menſtruæ fermentationis bene-
ficio, exſuſcitata, ſuam commotionis vim
exerit. Unde ſcribente Etmullero cap. de
immod. menſ. flux. quædam ſcorbuticæ ube-
riùs ſolent per uterum purgari.

Acriorem ſanguinem reddunt comeſt-
diu caro ſalſa & fumo indurata, uſus fre-
quens alliorum, cœparum & aliorum ejuſ-
modi, cereviſia antiqua, ſuppreſſio aut im-
minutio evacuationis cujuſdam conſueta-
ſalinæ, ut bilis, urinæ, &c. uſus medica-
mentorum acriorum, ceu aloëticorum dia-
gridiatorum, & ſcorbutica intemperies.

Aquoſior fit ſanguis cum exceſſu aque
ad reliqua elementa, potulentorum ac cibo-
rum ſero ſcatentium abuſu, vitio etiam di-
geſtionis quando ſcilicet aſſumpta in ventri-
culo non rectè ſubiguntur, proinque mini-
ſtrant ſanguini chylamen nimis dilutum &
vappidum, &c.

Item aquoſior fit ſanguis in fuſionis ac
diſſolutionis ſtatu, ex febribus malignis,
abuſu aromatum & liquorum ardentium ac
ſpirituoſorum longo uſu, circa hanc parti-

ulam notabile quid legitur in actis Hafnienſibus (Danicis) quod quidam frequentiùs ſumpſerit ſal. vol. ol. Sylvii pro ſanguinis attenuatione, & tollendis obſtructionibus; ſanguis enim per V. S. extractus fuerat viſcidus & craſſus; continuato uſu hujus aliquamdiu, incidit non ſolùm hæmorrhagiam narium vix curabilem, ſed & cùm ſanguis revulſionis gratiâ per V. S. extraheretur, ille fuit valdè floridus & tenuis, nequaquam rediens ad conſiſtentiam, cùm fibræ ejus omnes eſſent diſſolutæ, quod à ſale illo factum fuiſſe credendum, ſiquidem inſigni polleat vi attenuandi, incidendi, adeòque colliquandi. Hujus exempli etiam meminiſſe decuit ut Medicus à diutiori attenuantium volatilium uſurâ ſibi caveat: exin enim enitet medicamina per unum tempus ſalutoria, incautâ Medici conſideratione, per aliud inſalubria & nociva evadere. Hæc ſatis ſint de cauſis formalibus & procatarcticis, diagnoſtica jam in ſcenam prodeant.

Diagnoſis ad ipſum affectum & cauſas dirigenda eſt, ad ipſum affectum quoad fluxus tenorem, & verò nimia ſanguinis per uterum purgatio, non ad quantum æſtimanda eſt, conferendo fœminam laborantem cum cæteris vel cum ſe ipsâ: propter enim naturarum ac complexionum diverſitatem, aliis majori, aliis minori copiâ fluere ſolent

menſtrua. Menſtrua etiam purgatio fieri po teſt naturalis, commoda & utilis utcumqu conſuetâ major, quia ob largiorem victum aut exercitii ſueti omiſſionem, major unc tempore quàm alio ſuperfluitas in vaſis accumulari poteſt. Neque in numerum plurium ſolito dierum referenda immodica menſtruatio; quid enim refert plures pauciores vè dies illa duret, ſi modò talia & tanta evacuentur, qualia & quanta evacuari oportet, ſeu ſi evacuatio additioni ſit æqualis? Sed ex viribus cuique propriis infirmitatis & tolerantiâ difficili, fluxus magnitudo venit æſtimanda. Hoc punctum ſcitè monet Euſtachius Rudius lib. 2. cap. 35. dicendo, *Qui dejectiones non penes virtutem, ſed penes copiam menſurant: patientes in maxima diſcrimina deducunt. Dum ante tempus eas ſupprimere aggrediuntur quandoq; enim 4. aut 5. libræ ſine virium detrimento, nonnunquam neque duæ ſine maximo nocumento excernuntur.*

Signa cauſarum ex his elucent, quando immodicè fluunt menſes ex nimiâ ſanguinis effervefcentiâ, calor naturali major in pulſu deprehenditur, rubent genæ, venæ turgent, pulſus eſt celer & frequens, ſitis adeſt, ſanguis excretus, tenuis & floridus eſt, induſio exceptus, intenſum ruborem præbet, viget verna vel æſtiva tempeſtas

aut juvenilis ætas, præceſſit abuſus calidiorum æduliorum ac potuum, ira &c.

Quando autem menſes ſunt nimii ex acrimoniâ ſanguinis excretionem perpetim ſollicitante; pateſcit ex adjuncto inter excernendum dolore ardente, & mordicatione in muliebribus, ex oris ſalſedine, ex ſanguinis etiam fluxi & in linteis collecti colore: ſi enim humidum cum ſalſo redundet in ſanguine; lintea quibus capiuntur catamænia, flavè tinguntur. Si è contrà ſolùm ſalſum, quæ profluunt atri ſunt coloris, & eſt tum ardens æſtiva tempeſtas, aut autumnalis, aut prægreſſa exercitatio corporis vehementior, aut vigilia quibus humidum ſanguinis ſufflaminatum eſt; proprium enim caloris fermentativi quomodocumque in ſanguine exſuſcitati, diſcuſsâ tenuiori ſubſtantiâ (humidâ) reliquam incraſſare & per aduſtionem denigrare, ſeu in atro purpureum immutare, quæ tamen circumſtantia potiorem habet rationem in bilioſo temperamento.

Quando fluxus nimius pendet ab aquosâ ſanguinis diacriſi noteſcit ex pallido vultûs colore, partium carnoſarum mollitie, ex ipſo ſanguine fluxo qui linteis exceptus multum aqueum circa rubeum diſpergit, &c.

Quando fluxus nimius arguit irrequietem, inquirendum num patiens hinc inde

ſeſe exerceat, ſternutet ſæpiùs aut tuſſiat, ſi fiat ex corroſione vaſorum, matrix ulcere ex ante afficitur, & ſanguis excernitur parciùs & ſenſim cum ſanie fœtidâ permiſtus, ac cum doloris ſenſatione ad pubis regionem.

Si vaſa nimis aperta ſunt ex ruptione & violentâ causâ docet ægræ relatio, ſanguis etiam copioſus, ac magno cum impetu effluit & facilè congrumeſcit, & ſæpè in glomos natabiles coactus rejicitur cum celeri virium lapſu.

Quod ad prognoſim ſpectat, en Hippocratis veriloquia. *Plurimum repentè evacuare periculoſum. Si menſtrua plura fiunt, accidunt morbi.* Re ipsâ quoniam pro ratione ſanguinis, emergunt recrementa in varios uſus: ſanguis ergo ex profluvio uteri notabiliter minui nequit in vaſis, quin parvula ſpirituum, ſalivæ, ſucci ſtomachalis, bilis, &c. copia per propria cola derivetur. Quare functiones omnes quibus enumerata præſunt fluida, languidè perficiendæ ſunt & occurret virium languor, inappetentia, cruditas ventriculi, &c. Rursùm quoniam ſanguis à ſanguine fit; ſiquidem ille notabiliter minuatur in vaſis: chyli ſuperaffuſi alterationem, volatiliſationem & aſſimilationem non ritè perficere poterit quin exinde totus ſanguis crudus, viſcidus, ſubacidus aut quoquo

alio

alio modo vitioſus remaneat oportet, & ægra ducetur ad morbos cachecticos, aut licet rariùs ad conſumptivos. Ad cachecticos cùm partes ſucco illo nutritio non ritè ſubacto & volatiliſato, ſed crudo intra ipſas, mediâ circulatione adducto, infarcientur potiùs quàm debitâ applicatione, aut aliquali agglutinatione nutrientur, vel licet rariùs, ad conſumptivos plurimò de nomine, unàq; ſæpè concurrente, ſi ſanguis minutè peccans in vaſis, minorem habet impetum quàm ut particulæ nutritiæ in poros arteriolarum in partes alendas ſecretorios, ſatis altè protrudi poſſint, partes etiam nutriendæ, ſpirituum influorum penuriâ, parvulæ ſanguinis in vaſis reſidui copiæ reſpondente, ita flacceſcunt, ut poris earumdem in ſeſe collabeſcentibus non pateat aditus ſuccis nutritiis adventantibus, qui in ſanguinem ob ejus fractam energiam converti nequeuntes fluoris albi, aut ſudoris formâ, aut per urinas exterminantur, & fit tabes. Concurrit etiam ſucci alibilis ineptitudo.

Majus interim imminet periculum, quo major eſt ſanguinis excreti copia & fluxus diuturnior, quia indè nimium exolvuntur vires, magis periculoſum profluvium, ſi patiens debilioris ſit ſymplegadis, quo enim ſanguis tenuioris eſt texturę; ubi minutè peccat eò; illius expenſæ difficiliùs reſtaurantur.

In ſeneſcente muliere menſtrua nimiùm fluere, ſæpè incurabile eſt & lethale malum, partim quia in ætate ſenili fibrillæ ridigiores evaſerunt quales divulſæ coalitum ægrè admittunt, partim quia prioribus annis ſanguis ſpirituoſis partibus non parùm exhauſtus, iiſdem, nimio effluxu magis exhauritur, unde vix ulla ſanguificationis reſtaurativæ ſpes affulget.

Hæmorrhagia nimia uteri cauſam violentam agnoſcens, curatu difficilis ac periculoſa, propter nimiam vaſorum aperturam, cujus ratione vaſa brevi ſpatio, ſuo purpureo inaniuntur: periculoſior verò, imò cujuſq; ſpeciei curatu difficillima quæ adjunctum habet ſanguinis ſalinam labem, vel diſſolutionem, quia cauſa pertinacior eſt. Foreſtus lib. 28. obſ. 17. refert lethalem uteri hæmorrhagiam ex ſanguine acriori, hæmorrhagiæ à ſanguine fuſo lethyalitatem teſtantur authorum monumenta, & quotidiani caſus.

A quâcumque causâ pendeat fluxus muliebris; juxta experientiam Hippocratis, *Ex ſuperflua purgatione convulſio, aut ſingultus accedens, malum. In fluxu muliebri convulſio & animi deliquium ſi accedat, malum. A ſanguinis profluvio deſipientia aut etiã convulſio, malum.* Nam excedens inanitio notatur.

Therapeuſis, ut methodicè procedat, per cauſarum varietatem ducenda eſt. Quan-

do igitur fluxus muliebris excedens pendet à nimiâ ſanguinis fermentatione; indicatio curatoria eſt ſanguinem à parte effluxus divertere, & æſtuationem ejus ſedare. Hiſce mediis circulatio pacatior redditur, & deprimuntur vaſa, ut eorum villi devulſi mutuò ſe contingere & coalere valeant.

Utrique ſcopo favet phlebotomia revulſoria, ſeu in vaſis ſuperioribus, cujus ope rapitur minus ſanguinis versùs uterum, & æſtuans refrigeratur. Videndum tamen ut ſatis conſtent vires. Si alvus ſui immemor ſit muneris prœmittetur enema emolliens & refrigerans, neutiquam acre, quia vis irritans inteſtinum rectum, uterum illi incumbentem in oſcillationem ſtimulat, unde quies vaſis ſolutis coalendo requiſita tollitur; vix etiam tepidum ne fervor ſanguinis calidiori foveatur. Commorantes in alvo fœces ideò enemate dejiciendæ ſunt, quod exhalantes ab illis in poros vaſorum ſalinæ particulæ nimiam ſanguinis permeantis fermentationem foveant, ideò etiam quod fœces aggravando in vaſa ſanguinis, cauſent derivationem illius uberiorem ad uterum.

His internus ſuccedet uſus eorum quæ ſanguinis fervorem compeſcunt, & majoris fient utilitatis ſi ſimul aſtrictoriâ vi polleant, duplex ille ſcopus obtinetur acido auſteris ceu tormentillâ, biſtortâ, acetosâ,

mirtho, cydoniis, ſorbâ, cinorrhodi, meſpilâ, omphacio, aurantiis immaturis quarum decoctum valdoperè Septalius laudat, ex iis variæ fiunt præparationes. Accedunt ſaturnina, vitriolica & aluminoſa, velut tartarum aluminoſum, conſerva roſar. rubr. vitriolata, ſal ſaturn. aqua extinctionis auri, nitrum corallatum, nitrum vitriolatum, alumen tinctum Mynſichti, pilulæ ſtipticæ Helvetii, tinctura roſarum rubr. antiphiſica Wedelii, tinctura corallorum: unius aut alterius ex his doſis ſingulis 5. vel 6. horis cum brodio ingeri debet. Pulvis ſequens Deckeri in Barbette non temnendus eſt.

Rec. Rad. biſtor. torment. ſem. plantag. ana. dr. 1. corall. rubr. terr. ſigillat. ana ſcr. 2. ſaccar. ſaturn. camphor. flor. balauſt. ana. gr. 6. m. f. pul. in 8. doſes, vino ſtiptico exhibendus.

Conferunt etiam maximoperè ſomnifera, imminuto namque per ſomnum, ſpirituum in partes influxu, illæ flaccidiores factæ in ſeſe aſſumunt motum ſanguinis qui nimius propterea compeſcitur. Per ſomnum inſuper oſcillare ceſſant partes, & ſuggeritur mutuus villorum diviſorum contractus & mutua quies ad coalendum ita neceſſaria. Quare emulſio aſtringens D. L. Emeri in pharmac. reg. egregii eſt uſus, addito in colaturâ ſyrupo papav. albi, vel ſequens.

Rec. Sem. A. frig. major. mund. ana. unc. ſ.

ſem. cydon. lactuc. plantag. ſumach. papav. alb. ana. dr. 2. ſ. cremor. hord. lb. 2. ſ. ſ. ſ. & emulſio colat. adde ſyr. papav. albi unc. 3. detur lb. ſ. ſingulis 5. aut 6. horis.

Valet quoque mixtura ad hæmorrhagias Sylvii & Deckeri prout bolus ſequens.

Rec. Confect. de hyacinth. incompl. dr. 1. laud. cydon. gr. ſ. m. f. bolus qui reiterari poteſt ſingulis 6. vel. 7. horis donec irrepat ſomnus.

Sex non naturalia maximam conſiderationem petunt, cavebit itaque patiens ab omni aëre fervidiori, ideòque in loco radiis ſolaribus minùs expoſito decumbet.

Aër æſtuans refrigerabitur aquâ puteali largiter per pavimentum effusâ. Cavebit ægra ab aſſumptione rei cujuſvis actu ac potentiâ calidæ, adeóque juſcula, vitulorum, gallorum, &c. herbis refrigerantibus alterata & ſubfrigida, ſingulis ſex horis ingerentur; cavebit pariter ab omni cibo, potus erit ſerum lactis ſimplex vel tamarindatum, vel ſtipticis concoctum, vel cremor hordei, vel emulſio aſtringens D. Lemeri, vel aqua decoctionis pomorum cydoniorum, vel decoctum aurantiarum immaturarum ſeptulii.

Cavebit ab omni valido exercitio corporis quo partes diſcluſæ tenentur in jugi ac perenni oſcillatione, commovetur etiam ſanguis potenter, & fluidior redditur, ſed potiùs imperanda quies quàm maxima tum

corporis tum animi, ita ut caveatur penitùs ab irâ & ſimili paſſione cujus proprium eſt ſummam humoribus motionem inferre. Si tamen efferveſcentia ſanguinis ab irâ vel ſimili paſſione pendeat, bonum eſt (authore Sylvio cap. proprio) non gravem quidem, aſt levem produci mœrorem, quo incraſſatur ſanguis ab irâ nimis ſolutus & fluidus. Idem Sylvius ad procurandum ſomnum, fluxuum domatorem, ait conducere lactucam tam in juſculo coctam quàm crudam, acetarii modo uſurpatam: vis enim eſt ſomnifera lactucæ. Quatuor aut quinque poſt fluxum cohibitum diebus, purgabitur maſſa ſanguinea ab exoticis fermentativis partibus, decocto Gereonis in pharmac. Lond. vel ſero lactis in quo caſſia, rheum & parum ſennæ infuſum fuerit. Non citiùs purgandum eſt ne nuperiùs inducta vaſis divulſis cicatrix, illatâ per purgativum ſanguini commotione, aperiatur.

In nimio ſanguinis profluvio ſalinam ejus craſim arguente, pervidendum an illa ſit cum vel ſine humidi redundantiâ. Ubi abeſt humidum ſocium redundans, cura in eo verſatur ut vis & acies ſpiculorum ſalinorum enervetur, & enervata eliminentur. Priori ſcopo inſerviunt aquoſa, aqueum enim ſalia diſſolvendo, eadem in minimas moleculas æqualiter à ſe invicem diſcretas, dirimit,

in hac verò ſalinarum molecularum diſcretione, eædem diſperſim copioſo aqueo innatantes, etiamſi aptam pro vellicatione conformationem non deperdant; nihilo ſecius vim primariam exerendo enerves fiunt, ſicut enim vis unita fortior, ita quoque eadem diſperſa imbecillior. Illud evidenter elucet in quocumque ſalino graviori ac mordicante fluido, quod ex ſe corroſivum ac potens vellicans, aquâ largiter ſuperaffusâ, miteſcit, & ex non facilè potabili, potabile evadit.

Interim in hac molecularum ſalinarum diſcretione fit quidem ſubſtantiæ immutatio in minimas, nec proin exigua vis irritativæ refractio, ſed adhucdum tanta non eſt ut fibrillæ vaſorum uteri ſolutæ à vellicatione totaliter vendicentur; ita ut cum aqueo in ſubſidium juvet vocari lenta ac ſubviſcida ſeu involventia, quorum tomento moleculæ ſalinæ aqueo uberi in minutulas diviſæ & innatantes, quaſi gladius in ſuâ vaginâ incarcerantur, vel ceu plurimæ aciculæ in floccis laneis implicantur, quæ exhinc in impotentiam pungendi adducendæ ſunt.

Mitigatâ in hunc modum ſanguinis acrimoniâ, ſolutæ vaſorum uteri fibrillæ à ſalium inſultibus immunes, in mutuum contractum labendæ ſunt, proinque coaleſcent, & ſiſtetur fluxus. Remedia autem munus jactatum

adimplentia, ſunt ſerum lactis, & magis ipſum lac, juſcula, julapia, decocta ex incraſſantibus confecta, quæ majus editura ſunt commodum, ſi vim ſtipticam comitem habeant.

Terreſtria ſalium acrimoniam etiam obtundere annuit experientia, in quantum ſpicula ſalina in ſuâ poroſitate recondant, quod abſorbere dicitur: cùm enim ſalia per acumina acrimoniam prodant, occultatis ergo in terreſtrium poroſitate acuminibus, acrimoniam & per conſequens irritativam facultatem amittunt, quare & hic apprimè conferunt, quæ tamen magis profutura ſunt ſi nonnihil de auſteritate & glutine reſinoſo participent: hinc enim magis ac promptiùs laſcivientia ſalia irretienda ſunt & ſucco partium alibili permiſcendæ particulæ ſtipticæ, ac quaſi emplaſticæ quarum beneficio citior vaſorum occluſio emerget.

Salia emendata è ſinu ſanguinis eliminari debent ne rediviva eorum acrimonia timeatur: ſanguis etiam tantò dulcior evaſurus eſt quantum illius quod ſaliebat, deperdit; & ideò dulcificantium uſum intercalare debet purgatio, ſed mitior vix exagitans, & poſt ſe ſtipticum quid relinquens, qui effectus in rad. rhabarb. reperitur, & ideò in præſenti caſu utillima, quæ tamen quia ex propria natura benignius eſt catarcticum, aliorum

vi paulò majori operantium conſortium expetit. Hoc adnotante Sydenham cap. de dyſſent. ſed quæ ſeroſum laticem (ſalium vehiculum) expurgando ſpecificè accommodentur, talia ſunt fol. ſenn. agaricus, carthamus, manna, tamarindi, ſem. violar. &c.

Et quia tempore ſomni ab oſcillatione vacant partes, indeque plurimùm favetur unioni & coalitioni continui ſoluti; patet ſomnum quantum poteſt eſſe conciliandum: ideò commendanda quies tum corporis tum animi quàm maxima, ut ſomno ſpontè venturo pateat ingreſſus, qui ſi ſpontaneus non futurus videatur, provocari debet anodynis, imò & narcoticis, quæ tamen maximam rationem habent veſperi purgationis, cùm tum ſanguis fœcibus ſalinis partim purgatus eſt, & ſomniferis impetus illius à purgatione ſuperſtes, quantillus ille ſit, compeſcetur. Sic adumbratâ medendi methodo, reſtat quoad ſingulas curationis indicationes, & juxta varias quæ huc attinent medendi circumſtantias, remediorum formulas quaſdam ſelectiores & efficaciores ſubjicere.

Rec. Rad. alth. nimph. ana. unc. 1. rad. conſolid. maj. unc. ſ. fol. agrimon. capill. ven. portul. plantag. ana. m. 1. ſem. alth. bombac. cydonior. ana. dr. 2. ppta. cop. in ſ. q. aq. vel

meliùs,ſeri lactis ad lb. ʒ. ſ. colat. adde ſyr. de alth. Fernel. de ſymphito, è ſucco portul. vel de nimph. unc. 2. ad uſum.

Rec. Aq. plantag. lb. ʒ. ſyr. de nimph. alth. Fernel. ana. unc. 1. ſ. tinct. roſat. unc. ʒ. m. ad uſum.

Hæc vel ſimilia inſervient pro potu ordinario. Ego feliciter uti ſoleo juſculo galli ſingulis 5. vel 6. horis ſubfrigidè exhibito, in quo albumen ovi agitatione permiſtum eſt. His vel aliis id genus dilutâ ſanguinis ſalſedine ac quaſi viſco involutâ purgatur modo ſequenti.

Rec. Pul. rhab. mechoac. ana. ſcr. 2. ſal. tart. ſolub. drag. ſ. ſyn. flor. perſic. unc. 2. decoct. laxat. ex fol. ſenn. dr. 1. tamarind unc. ſ. & ſem. aniſ. drag. ſ. in ſero lactis parati, unc. 4. m.

Rec. Rhabarb. el, inciſ. dr. ʒ. fol. ſenn. dr. 1. caſſiæ recenter extractæ, un. 1. ſem. fœnic. ſcr. 2. f. infuſio in juſculo plantag. lactuc. foliis alterato, colato, adde ſyr. de cichor. cum rheo, vel roſat. ſolut. ſimpl. vel mannæ granat. un. 1. m. ad uſum.

Veſperi purgationis detur emulſio cum ſyr. papav. albi, vel bolus hic.

Rec. Confect. de hyacinc. incompl. ſcr. 2. aluminis tincti, Minſicht. gr. 15. opii cydoniati liquidi gut. 10. m.

Vacuis à purgatione diebus exhibeantur,

terreſtria ſtiptica, ceu corallum, ſuccinum, olibanum, maſtich. ſang. dracon. croc. martis aſtring. lap. hæmat. bol. armen. terra ſigillata, Japonic. ſem. mirtill. plantag. cydon. ſumach. anther. roſat. &c. Ex quibus variæ formulæ parari poſſunt. Sequentia mihi ſuccedunt.

Rec. Conſ. fl. roſat. rubr. unc. 2. minæ cydon. fruct. cinorrhod. condit. ana. un. 1. ſpec. diamarg. frig. dr. 3. terr. jappon. dr. 1. ſ. pul. ſtiptic. Helvet. vel alumin. tincti. Minſicht. ſcr. 5. Et ubi fluxus urget nimis, addatur, laudan. cydon. liquid. drag. 1. cum ſyr. è roſis ſiccis. q. ſ. f. conditum cujus detur ſingulis 5. vel 6. horis ad magnitud. caſtaneæ ſuperbibendo haſtum julapii.

Mixtura ſequens ubi urget affectus, felicis mihi eſt etiam uſuræ.

Rec. Aq. plantag. unc. 3. cinnam. drag. 5, aceti diſtill. unc. ſ. conf. de hyacinth. incompl. dr. 1. ſ. corall. rub. pul. dr. ſ. ſang. drac. gr. 15. laudan. cydon. gr. 3. ſyr. mirtin. unc. 1. m. f. Mixtura cujus cochlear unum ac alterum identidem ſumatur.

Aquæ minerales acidulæ, vitriolicæ, ferratæ & aluminoſæ, quales in & circa oppidum *Spa* comperiuntur, annuente Riverio prax. lib. 15. cap. 3. teſte quoque experientiâ in fluxu diuturno cohibendo, cauſis ejuſdem auferendis & viſceribus roborãdis plurimum

conferunt: ſanguinis enim fervorem ſedando, & acrimoniam mitigando, & mitigata ſalia per urinas elavando comparantur, illud doctè notante Cl. Collegâ Breſmal Hydrographii part. 3. cap. 3. ſed per longum tempus & parvâ quantitate propinari præſtat; parvâ quantitate ut nimia ac præpropera vaſorum diſtenſio per grandem aquæ unâ vice ingeſtæ copiam, alioquin timenda, præveniatur; ex nimiâ enim vaſorum diſtenſione continuum ſolutum illorum à mutuo contactu inhibetur, unde potiùs noxa quàm commodum recipiendum. Per longum verò tempus ut diminuta aquarum epotarum quantitas, temporis in eorumdem potationem deſignati longitudine compenſetur, quo pacto, dicente Morton Phiſiologiæ cap. 5. pag. 286. *Sanguis magis forſan attemperatur & alteratur quàm à magnâ quantitatis ingurgitatione breviori temporis ſpatio peractâ.*

Si ex immoderatione fluxus, vires notabiliter lædantur cum corporis macie; bonum eſt recurrere ad auxilia quæ vires ſuſtinent, corpus reſtaurant, & fluxus conſtrictioni opitulantur; inter omnia lac palmam præripit, maximè chalybeatum, quod Riverio authore cap. de menſ. immod. fluxu, per plures dies epotum in affectu inveterato multùm prodeſt: *Humorum enim* (ait) *acrimoniam contemperat, eoſdem incraſſat, corpus*

reficit, & fluxui reſiſtit. Id auxilii genus Arabes & Horatius Angenius ad cœlum extollunt. Lac purum ac recens non minùs utiliter propinatur, ſi aſina vel vacca herbis vulnerariis, appropriatis paſcatur ad liberum paſtum matutinis & veſpertinis horis. Lactis uſus debitus videatur in Mortoni Phiſiologia.

In hac fluxus nimii ſpecie revulſoriam venæ ſectionem penitùs improbandam cenſeo, cùm per illam neutiquam tollatur ſalina ſanguinis diacriſis cui profluvium debetur. Adeò non ulla utilitas patienti exin reſultare poteſt quin potiùs detrimentum, vires enim quantum fieri poteſt, conſervandæ, & exceſſu fluxus jam proſtratæ, revulſoriâ phlebotomiâ in magis proſternendæ ſunt citra cauſæ cauſantis emendationem, proinde citra ſperabilem profluvii imminutionem.

Ubi luxurians ſalſedo humido uberi ſociatur, opus incumbit ut ſanguis ab utriuſque redundantiâ vindicetur, & quia humidum ſalium eſt vehiculum, hincque humidum redundans quaquà foras rapitur; illac ſalia immerſa rapi coguntur, liquet curationem ſuſcipiendam eſſe per ea quæ humido uberi educendo & diſcutiendo idonea ſunt. Viæ educendo humido magis naturales, ſunt emunctoria renum & pori cutis miliares, quare diuterica & ſudorifera hîc conveniunt.

Sudoriferis (ait Etmuller. cap. de immod. menſ. flux.) *copioſum ſerum unà cum acrioribus ſalibus per cutim extravaſatur. Unde reliqua maſſa ſanguinea neceſſariò craſſior ac ſpiſſior fieri debet: ut ut namq; ſub ipsâ ſudatione fluidior reddita maſſa ſanguinea uberiùs excerni videatur, poſt peractam tamen ſudationem ſanguis ſpiſſior meliùs ſiſtitur.* Interim ſudorifera mitioris naturæ ſeligi debent quæ citra magnam ſanguinis turbam operentur, diutericis pariter benignis complicari quibus ratione acrimoniæ & profluvii addenda ſunt quæ ſalium aciem infringunt, vique ſtipticâ pollent. Has intentiones perficit decoctum Chinæ & ſalſæparillæ ac ligni lentiſcini, quibus adduntur cort. rad. petroſ. fœnicul. fol. capill. vener. agrimon. cort. granat. flor. balauſt. &c.

Si primas regiones vitiosâ ſaburrâ obſideri harioletur; purgare oportet, & inde ſerum ſalſum ſanguinis diſſipantia citra impedimentum ac remoram nec obtuſa ac coinquinata ad ſanguinis vaſa pertingent, ſuamque vim exerent. Etmuller. cap. prop. purgationem neutiquam approbat, *quia omnia purgantia ſtimulant potiùs & fluxum promovent*. Sed videtur mihi quâ ratione ſudorifera Author admittit, eâdem & purgantia eſſe admittenda. Emolumentum quod purgationem ſequitur, noxæ per eam illatæ

prævalet : ut ut namque ſub ipsâ purgatione fluidior ac mobilior reddita maſſa ſanguinea, uberiùs excerni videatur, poſt peractam tamen purgationem ſanguis ſpiſſior meliùs ſiſtitur. Inſuper ſubſtractâ per purgationem, tum à primis viis tum è ſinu ſanguinis causâ fovente, expediuntur viæ ad remedia ſpecifica. Sed ne purgatione fluxus notabiliter concitetur, inſtituenda eſt blandis catarcticis aſtrictionem quamdam poſt ſe relinquentibus & ſero vacuando aptis. Circa eam duo ſunt monitu neceſſaria: Primò, ægra toto purgationis die in lecto quieſcat, hac corporis ſituatione laxativum vaſa ejuſdem faciliùs, & minori operatur turbâ. Secundò, veſperi purgationis paregoricum propinetur, ut per ſomnum relicta per eam in ſanguine vel quantilla turba ſedetur & fluxus retineatur. In hoc caſu proſperè utor decocto ſennæ Gereonis cum additione rhabarbari, & veſperi, bolo ex conf. de hyacintho incompl. dr. 1. & opii cydoniati granulo.

In ſalina ſanguinis diacriſi citra luxuriem ſeri victus erit humectans & incraſſans, & ubi inſimul datur ſeri luxuries ſiccior & ex acrimoniam demulcentibus, & in utroque ſtatu aberit omne animi pathema, quieſcet ægra in lecto cruribus complicatis, & citra corporis motionem & alvus pigrior ſollici-

bitur enemate lenitivo.

Ubi redundans ſerum ſine acrimonia, reum eſt profluvii; indicatur illud è ſinu ſanguinis eliminare, ad exemplum Timæi lib. 4. caſ. 11. Primò purgatione hydragoga, cui rhabarbarum adjectum fuerit, ac dein ſudoriferis. Purgatio eò conducibilior eſt quod vias faciat ſubſequendis ſudorificis ab omni ſorde & impedimento liberas, & his pilulis Cl. Barbette cap. propr. inſtitui poteſt.

Rec. Reſin. jalap. agaric. extr. rhabarb. ana. gr. ſ. ol. menth. gutt. 2. m. f. pil. nro. 4. devorentur pro una doſi.

Purgationem ſequentur ſudorifera aſtringentibus nonnullis mixta, ut eo ipſo tempore recluſa uteri vaſa roborentur & occludantur. Rem felicem obtinuit Timæus decocto ſequenti.

Rec. Rad. chin. unc. 2. ireos flor. un. 1. galang. cariophillat. lign. ſaffraſ. ana. dr. 3. inciſa & contuſa infundantur in ſ. q. aq. per hor. 24. poſtea coq. ad tertias, paulò ante finem coctionis, injiciatur flor. roſ. rubr. balauſt. ana. m. f. cort gr. unc. ſ. ebulliant ſemel atque iterùm colatura; addito ſaccharo edulcoretur, cujus unc. ſ. ægra capiat ſingulis matutinis in lecto & ſudet. Walſmiedt in Timæum circa flores roſarum hoc decoctum ingredientes, monendum præbet num

ægrotans

ægrotans ferre poſſit odorem roſarum, quia mulierculæ ex tali odore in paſſionem hyſtericam incidere valent. Quale exemplum legitur in Timæo lib. 4. caſu 6.

Quia vires profluvio jam dejectæ, per ſudationes adhuc magis dejiciuntur, exhalantibus cum humido redundante volatilibus ſanguinis particulis. Quia inſuper novi ſeri regeneratio & recollectio impedienda eſt, quare inter quaſque ſudationes exhibenda ſunt, quæ vires refocillitent, novi ſeri luxuriem præpediant, ſanguini proinde robur adjiciant, ſimulque vaſorum apertorum occluſioni faveant. Has intentiones Timæus loco citato implevit condito ſequenti.

Rec. Conſ. roſ. rub. antiq. unc. 4. cydon. condit. un. 1. ſ. ſpec. aromat. roſat. diarrhod. abbat. ana. dr. 1. croc. mart. aſtring. drag. 3. corall. rubr. ſcr. 4. ſmarag. ppt. margarit. ana. ſcr. 1. bol. armon. terr. ſigillat. ana ſcr. 2. ſyr. corall. q. ſ. f. conditum de quo ſumetur bis in die mane, & 4. pomeridianâ ad magnitudinem caſtaneæ ſuper hauriendo hauſtum vini auſteri. Aliud concinnari poteſt ex conſ. menth. criſp. flor. caryophill. nuce moſchatâ conditâ, confect. de hyacinth. diaſcord. frac. corall. rub. terr. catek. &c. cum ſyr. è ſucco menthæ. Confert etiam vitellum ovi in vino rubro diſſolutum ac mane crebrò repetitum, eſt experimentum Amati Luſit. & Hartman.

Præſtantiùs autem fiet remedium, ſi tãtillum nucis moſchatæ ac maceris, vel pul. aromat roſat. addatur: victus erit exſiccans & corroborans, & facilis coctionis; pervidendum enim bonæ digeſtioni in ventriculo, quâ rite fiente nulla oritur cacochylia, nulla proinde ſeroſa ſanguinis cacochymia.

Quando impedimentum vaſorum viſcerum adjacentium huic morbo dat originem, adhærendum cõſilio D. Thinck qui inſtrumentor. pharmaceut. cap. de hyſtericis ita loquitur: *Nota, ſæpè in menſium profluvio complicari tumores, abceſſus, infractus meſenterii & obſtructiones viſcerum, quibus omnibus medendis incumbendum antequam ſimpliciter aſtringentibus & incraſſantibus utamur: tunc autem utendum leviter aperientibus & detergentibus, immixtis paucis incraſſantibus, & aſtringentibus, & per vices adhibitis clementer purgantibus.*

Martialia præſcribi poſſunt ad exemplum Riverii, qui praxeos lib. & cap. 10. fluxum hæmorroidum contumacem ab hâc noſtrâ causâ pendentem pilulis ex chalybe aliquando prorsùs ſe ſuſtuliſſe refert.

Porrò quando profluvium cruentum uteri arguit quamdam violentiam, percuſſionem, v. g. lapſum in ventrem, inſignem ex abortu dilacerationem, &c. quia ob magnam vaſorũ apertionem ubertim & impetuosè ſanguis

rumpit, ita ut periculum ſit in morâ: ſtatim
evulſoria auxilia ac potiſſimùm venæ ſectio
n brachio quantum patiuntur ægræ vires,
elebrari debent, ſupinè patiens jaceat, quies
nimi & corporis quàm maxima commende-
ur. Nam certum eſt quaſcumque evacua-
iones quiete & ſomno optimè cohiberi, ideò
tiam traumatica opio juncta præſtantiſſima
int. Lindanus multoties proficuè ſe uſum
ſſerit hoc opiato in hoc prout in quocùmque
lio caſu ubi fluxum ocyùs ſiſtere oportet.

Rec. Corall. rubr. ppt. ſuccin. flav. ſang.
racon. boli armen. ana. dr. 2. ſem. plantag.
oracis calcinati (calcinatus aſtringit, non
alcinatus menſes veneremque excitat) ana.
r. 1. laudan. opiati gr. 4. extr. croc. martis
. 1. ſyr. è roſis ſiccis, q. ſ. pro conſiſtentiâ;
oſis eſt dr. 1. ter in die mane, ante prandium
ante cœnam.

Sequens ab Etmullero in contumaci uteri
æmorrhagiâ cõprobatum laudem meretur.

Rec. Conſ. roſ. rubr. unc. 1. diacydon. ſive
ecieb. dr. 3. corall. rubr. ſang. drac. oſſis hu-
ani calcinati, ana. dr. 1. troch. de karabe,
uminis crudi, (malim) tinct. Mynſicht,
m. plantag. ana. ſc. 2. Laud. opiat. (meliùs)
doniat. gr. 6. ſyr. corall. q. ſ. pro condito;
magnitudinem caſtaneæ ter in die ſu-
endo.

Uſura cranii humani internè ſumpta ad

dr. 1. cum vino auſtero limphato ad ſeda
dam quamcumque hæmorrhagiam à mul
multùm deprædicatur : aſt promptiùs ſi
ſtat promiſſis ſi opio jungatur alumen ti
ctum Mynſichti ſeu pilulæ ſtipticæ Helv
tii. In hoc, ſi unquam, caſu excellunt, da
tur à ſcr. 1. ad dr. ſ. ſingulis 4. vel 5. horis
brodio caponis & promptioris notavi eff
ctus, ſi opium adjectum fuerit cydoniatu
ad gr. ſ. imò ubi vires debiliores ſunt, co
tect. de hyacinth. incompl. ſcr. 2. & alum
nis ita ppti. doſim cum tantillo opii fructu
sè miſceo in bolum. Mixtura ad hæmorrh
gias Sylvii Delboë ſuos non denegat effectu
Plurimi Authores ſuccum ſtercoris aſinin
& ſyr. mirtill. ana. ad unc. ſ. addita aq. pla
tag. ac meliùs ſucco urticæ urentis ac ne
ciente muliere exhibitum, certò juvare aſſ
runt, at cujus principii jure hoc ſtercus ta
potens ſit in ſiſtendis hæmorrhagis non fac
lè noteſcit, nec explanatum video ab ull
Stercus caninum aſinino non cedere teſt
tur Etmuller. cap. propr. qui ſe noviſſe m
lierem narrat quæ hæmorrhagiâ uteri de
peratâ laborans, poſt multa incaſſum uſu
pata, arrepto ſtercore canino ex plateâ, pu
veriſato & in vino acidulo propinato, cura
fuit, non ita tamen, dicente Sennerto ca
propr. ut in reliquis cauſis. Hîc utilia & ef
cacia ſunt medicamenta interna cùm nullu

nguinis vitium adſit ; plus commodi affe-
int externa quæ rupta vaſa claudunt. Inter
cterna autem peſſi, eodem Authore, hîc non
leò ſunt utiles cùm ad aperta venarum ori-
cia non pertingant, eò magis unguenta,
nplaſtra, cerata, ac fomenta pauci ſunt
ommodi, quæ nihiloſeciùs magis nociva,
uàm proficua debent cenſeri : cutis enim ac
iſa ſuperficie tenus reptantia, externis ejuſ-
odi ſtipticis applicationibus, corrugari ac
erſtringi nequeunt, quin ſanguis ad pro-
ndiora vaſa copioſiùs corrivari cogatur,
uin conſequenter copioſiùs & majori cum
npetu per vicina recluſa vaſa exſiliat. In ma-
iatis commodiſſimi ſunt clyſteres uterini
: ſtipticis traumaticis confecti, quia ad in-
rnam uſque uteri ſuperficiem pertingere
oſſunt. Balneum aquæ in quâ ſolutum eſt
umen crudum pulveratum, à pluribus ceu
fallibile experimentum meritò habetur,
out & ſtipticum balneum Mynſichti.
alneum non calidum adminiſtretur, quia
lore ſuo ſanguinem rarefaciendo, ejus
uxum intenderet, ſed modò ſubfrigi-
m ; & mulier ſemel in die, mane ſcili-
t, jejuno ventriculo per horam unam ac
teram uſque ad umbilicum, per aliquot
es continuando inſedeat. Valet etiam va-
or aceti aſtringentibus impregnati & ſuper
trum ignitum candens effuſi, genitalibus

exceptus. Vapore vini rubri auſteri in candens excrementum ferri cum ſpongiâ aſperſi per horam in uterum excepto, quaſdam miſeras mulierculas profluvio menſium laborantes feliciter ſe curaſſe gloriatur Joël praxi lib. 8. ſect. 2. cap. 2.

Si profluvium fiat, quia continuâ tuſſi ſanguis in fluxum premitur; præceptâ ſummâ quiete, tuſſis ſedationi debitè ac ritè elaborandum ſpecificis, intermiſcendo nonnulla, quæ cohibitionem fluxus ſpectent.

Quædam monita (à quâcumque causâ pendeat fermè profluvium) ſtrictè obſervabilia in capitis coronidem recenſere expedit. Aër ad frigidum declinet, & ita diſpoſitus ſit ut neque calore humores fundat, neque frigore humores tranſpirabiles cohibendo fluxionem augeat. Cavendum à cibo & potu aromatico, ſpirituoſo, & alio ſanguinem agitante, qualia ceu peſtem fugere prudentiæ eſt argumentum; ſed cibus ac potus incraſſandi & aſtringendi vim habeant. Servetur quantum poteſt quies tum animi tum corporis? Longiori tempore, licet fluxus cohibitus ſit, à venere abſtinendum cum Authore Sennerto, obſervatum ſit quaſdam ex uſu veneris recidivam paſſas eſſe. Somnus ſolito ſit longior potiùs quàm brevior, quia in ſomno fermentatio ſanguinis pacatior redditur, & quæque evacuationes (exceptâ diaphoreſi)

etinentur. Decumbat ægra cruribus ele-atis & complicatis in lecto quidem molli, ræprímis ſi vires notabiliter dejectæ ſint: ıon tamen calidiore ut plumaceo, à quo ınguis incaleſcit & fluxus fovetur. In opio xhibendo conſulantur vires, nam ſi patiens ebilior deprehendatur, ſatiùs eſt opium ninore, ſed ſubinde reiteratâ doſi (quo mo-o rarò nociturum eſt) exhibere, quam ple-iori, quæ ſomnum lethæum curanti ſemper pprobrioſum pro ſalute afferre valet. Por-ò in viribus valdè dejectis abſit Phleboto-nia revulſoria, per quam alioquin futurum ıajus earumdem decrementum cum incertâ uxus cohibitione, aſt cum periculosâ affe-tuum chronicorum incurſione.

CAPUT VII.

De inordinato Menſium fluxu.

FLuxus menſium inordinatus duo includit, menſium nempè ante conſuetum tempus recurſum & eorumdem ultra conſuetum ſub-ſtentiam. Recurrunt ſolito citiùs menſes, rimò quia ſanguis ſingulis menſibus regula-iter erumpendo deſtinatus, prout purga-nen uterinum, ad plenitudinem ſuam

ſolitò citiùs accreſcant, idque evenit uſu ciborum ſuetò ſucculentiorum & concoctu faciliorum, vel omiſſione conſueti exercitii: nam alimenta boni ac plurimi ſucci, fermento gaſtrico faciliùs cedunt, citiùs proindè ſubiguntur & abeunt in chylamen, quod ex coctionis viſceribus, ſanguini in vaſis confluo pariter citiùs ſuggeſtum, ob particularum conſtituentium mollitiem minoremque cohærentiam, ocyùs propterea volatiliſandum & eidem aſſimilandumeſt. Unde ſiquidem velocior perſeveret chyli confectio in primis viis, & velocior ejuſdem ad ſanguinis vaſa tranſgreſſio & in eundem converſio, exinque ob velociorem pariter fermenti gaſtrici intra ventriculum regreſſum, frequentior appetentia cùm eam ſubſequentibus adveniat: futurum ut ſanguis cum recremento uterino quod ex chyli & ſanguinis reliquiis à fermentatione reſiduis, ut cætera recrementa, procreatur, ad plenitudinem menſtruam aſſurgat velociùs, pariterque in fluxum adducatur. Omiſſione ſueti exercitii, tanto citiùs menſtrua ſuperfluitas coagmentanda eſt in vaſis quantum eſt illius quod beneficio ſueti exercitii diſcuti ſolebat.

Secundò, fluxus menſtruus ſtatam periodum antevertit ſi ſanguis (cũ antiquis loquor) ſit nimis calidus, tenuis, acris & mordax, ceu (cum modernis) ſi fermentabilior reddatur

infra ſuprave medium menſtruationis tempus. Illud quidem præſtant ea omnia, quæ fermentativum ſanguinis motum augendo, ex naturâ apta ſunt, prout prava victus ratio ex acribus, ſpirituoſis & aromaticis, vigiliæ diutiùs protractæ, animi pathema violentum ab excandeſcentia ſpirituum exortum; ira, ſcilicet, gaudium immodicum ex improviſo initum, exhalatio impedita ſalium volatilium per cutis ſpiracula, vel alia evacuatio ſolita ſuppreſſa. Item menſes moventia intempeſtivè exhibita, &c. quibus congeſtum in vaſis purgamen uterinum in actum velociùs provocatur. Sub menſis Julii finem anno 1706. Illuſtris Domina cùm dies noctesque tribus pueris morbillantibus invigilaret, anticipationem menſium ſupra ſeptimanam paſſa eſt. Alia, menſe Martio anni 1705. temperamento biloſo prædita, ob interceptum ex ſuſcepto incautiùs frigore, materiæ inſenſilis tranſpirationem, duodecim diebus ante conſuetum menſtruationis tempus, febre corripi cœpit quàm perendie excepit menſtruorum fluxus & curata fuit.

Menſtrua citiùs erumpentia ex patientis relatione noteſcunt, Medico inquirenti quæ refert longè citiùs quàm aliàs conſuevit, aut intra conſuetum tempus bis terve cruentum ex utero profluvium pati. Cauſarum ſigna deſumuntur ex inquiſitione

eorum quæ priùs geſta ſunt.

Quod attinet prognoſim, affectio hæc moleſta potiùs eſt quàm periculoſa; ſuis tamen non caret incommodis: fœminæ enim menſtruationem inire non ſolent, quin aliqualiter ægrotent, interdum etiam docente Sennerto ac ipsâ experientiâ, conceptionem impedit, imò etiam inde nimium ſanguinis effluvium non ſemel mihi videre licuit.

Pro curatione, ſi menſtrua ſolito citiùs in fluxum veniant quia citiùs congeruntur in vaſis, redeundum poſthàc ad conſuetum vitæ genus ac exercitium: ſin verò quia vigiliis immodicis aliisvè prænotatis uſa fuerit fœmella; cavendum in poſterum à talibus, ſuperſtes ſanguinis acrimonia inſuper demulcenda eſt victu & auxiliis congruis, inter quæ aquæ minerales acidulæ & vim ferri abundantem poſſidentes, utiliter potantur.

Menſium effluxus aliquot diebus pluribus aut paucioribus ultra conſuetum tempus ſubſiſtit, & ſimul plerumque nullo ordine ac periodo regreditur pluribus de cauſis: Primò ſi ſanguis ac relativè recrementum uterinum ad plenitudinem & turgeſcentiam menſtruam tardiùs ſegniùsque accreſcant, quod advertitur in nuper reſurgentibus à morbo in emaciatis & corpus parſimoniâ

macerantibus, in iis in quibus menſtrua per ætatem deſinere incipiunt, in iis quæ majori quàm ſolent exercitio utuntur: quandoquidẽ enim menſtrua congeſtio, menſtruo ſolito ſpatio fieri non poſſit; tamdiu hæc purgatio differtur donec debita congeſtio perſolvatur.

Secundò, Si datâ congeſtione menſtruâ in vaſis, recrementum uterinum inibi collectum, ſanguini nimis involvatur quàm ut debito tempore, ſui valeat fieri juris, quod contingit commiſſo in ſex non naturalibus circa conſuetam periodum errato, ut aëre pluvioſo & frigido ſuſcepto, cibis ac potulentis acidis, incraſſantibus, aut ſanguinis compagem conſtringentibus, item mœrore ac omiſſo circa inſtantes menſes conſueto exercitio, aut ſomno inito prolixiore: nam feriante præter morem muſculari motu, ſanguis in motu progreſſionis & fermentationis non parum retardatur, hincque recrementum uterinum in ipſo latitans, à compedibus non excutitur ut ſuo tempore in actum venire tardet.

Tertiò, Si ſanguis pravis ſuccis ſcateat à quibus motus illius inteſtinus hebetatur, unde plurimùm temporis ad evolutionem recrementi uterini crudioris ac oppreſſi impenditur, prout fit in iis quæ ad cacochymiam vergunt, de quibus Galenus 5. aphor. 36. ſcribit, quod *cacochymicis mulieribus non modò*

menſes decolores appareant, ſed etiam ſtatum periodi tempus non ſervent, humoribus qui craſſiores ſunt, & ad fluxum ineptiores morantibus.

Diagnoſis fœmellæ ore patet, cauſarum indicia hæc ſunt: ſi fœmina remoram menſium patiatur quia reſurgit à morbo, vel victu tenuiori utitur, vel plus ſolitò ſe exercet, vel ad ætatem quâ menſes ceſſare incipiunt, accedit; eorum conſideratio rem planam præbet, & nullam exin fœmina fert moleſtiam, ſin verò ob adventitiam circa ſtatum periodi tempus ex commiſſo in ſex non naturalibus errore, vel cachecticâ ſanguinis intemperie, fluxus menſtruus debitum tempus præteriit; noteſcit ex erroris confeſſione, & fœmella ob congeſtam menſtruam ſuperfluitatem, moleſtiam percipit, & ejusdem in corpore reſtagnantis ſigna adſunt; nullam tamen circa uterum ac lumbos gravitatem ac moleſtiam percipit.

Retardatio menſium ex incipiente cacochymiâ cognoſcitur ex pravo corporis habitu tum in mollitie, tum in colore.

Prognoſim habeto? In cōvaleſcentibus menſtrua tardiùs quàm ante morbum prodire bonum, quia inde ſubintelligitur ſanguinis vigorem reviviſcere, adeóq; fermentum ventriculi laudabile evadere, & chyloſim ac ſanguificationem meliorem redintegrari, & in illis

non opus eſt medico, nullum etiam eſt periculum ubi menſtrua fluunt tardiùs ex pauciori nutricatu, vel nimio corporis exercitio, vel ex ætate provectiori in quâ curam non poſtulat ſed præcautionem, ne quid periculi approximante menſium ceſſatione inferatur: Noxæ enim plures ſeneſcentibus exindè pullulare ſolent teſte Hildano, qui cent. 4. obs. 64. refert cuidam ſanguineæ, robuſtæ & morbis parùm obnoxiæ, ſterili tamen menſtrua ad annum vſque 78. ætatis ordinatè profluxiſſe, eoque anno cùm inordinatiùs fluere inciperent, eam in febrem continuam incidiſſe, & materiâ in crus ſiniſtrum depulsâ, inflammationem & gangrænam, ibi excitatam fuiſſe quâ paulòpoſt è vitâ diſceſſit. Juxta verò Hippocratem 6. aphor. 29. mulieres non laborant podagrâ niſi menſes ipſas defecerint. Menſium remora in iis in quibus datur menſtrua congeſta ſuperfluitas, quamvis ſuppreſſione minùs periculoſa ſit; tamen periculi expers non eſt (prȩſertim Sennertus loquitur.) *Si fæmina ſit phletorica vel cacochymica, cùm ex retento præter conſuetum tempus ſanguine vel etiam vitioſis humoribus, varia mala oriri poſſunt.* Curatio autem obtinetur facilior aut difficilior pro cauſæ majori vel minori contumaciâ.

Cura conſiſtit in cauſarum ablatione,

itaque ſi ſtatum purgationis tempus prætereatur, quia menſtrua ſuperfluitas ſeriùs ad debitam plenitudinem augmentetur, ex macie, pauciori victu & labore ſolito majori: adhibendus eſt victus laudabilis ac plenior, & ſtandum ſolito exercitio. In ſeneſcentibus cura tantùm datur præſervatoria à ſimptomatis menſtrua ceſſantia ſubſequentibus, quæ fit victu conſtitutioni & ætati congrua, exercitio ſolito validiori quo declinans menſtruorum materia digeratur & diſcutiatur per urinæ aut tranſpirationis vias. Ceſſatis autem in totum menſtruis, per aliquot annos aut certa tempora venæſectio ac purgatio ſubindè inſtituenda eſt: menſtrua enim colluvies quantilla adhuc cumuletur in ætate provectâ; quatenùs per induratum uterum elabi neſcit, vacuanda eſt donec in totum generari deſueſcat.

Demùm quando menſtrua ſuo tempore prodire tardant, quia recrementum uterinum in vaſis collectum, ob cacochymiam ſanguinis crudiùs exiſtit & hebetatur nimis quàm ut ſtato tempore ſui fiat juris; ſanguis ab opprimente vitioſo humore liberandus purgatione ad mentem Coi, qui 5. aphor. 26. ſcriptum reliquit: *Menſes decolores nec eodem ſemper modo ac tempore prodeuntes purgationem neceſſariam indicare*. Verùmtamen ſi humor peccans viſcidetur; fluidior

prius reddi debet quàm expurgetur: concocta enim non cruda movenda ſunt. Ad hoc autem ut incidentia & attenuantia in uſum ritè trahuntur; primæ ſic dictæ viæ ſtabulantibus ſuccis quantitate ac plerumque qualitate peccantibus repurgari debent; cum non ſublatâ primorum viarum impuritate, non liber attenuantibus extat tranſgreſſus ad uſque ſanguinis vaſa, vel illa nonniſi obtuſis ac fractis viribus ad optatum locum deferuntur ſæpè & incaſſum, & cum patientis noxâ laboratur.

Et quoniam ſanguis, quamdiu naturalem habitum non recuperavit, tamdiu fermentum digeſtivum illaudabile ventriculo miniſtratur, hincque novæ perpetim renaſcuntur & cumulantur in primis viis impuritates: ideò inter edendum ingerenda ſunt ſtomachica quæ fermenti digeſtivi muneri ſuppleant, interponi quoque debet purgatio, quæ eò magis profutura eſt quod tum concoctus ſeu attenuatus vitioſus humor ſanguinis ſimul cum pravæ chylificationis relliquiis præcipitabitur. Ea medendi methodo proſperè proceſſit Deckers in variis puellis, viduis & maritatis hanc menſium læſionem patientibus, quas maſsâ pilulari, vino medicato & pulvere ſequentibus omni laude dignis ſe curaſſe perhibet.

Rec. Maſſ. pilul. fœtid. maj. ℥ aloes lucid.

ana. dr. 2. mirrh. reſ. jalap. ana. dr. ſ. caſtor. croc diagrid. troch. alhand. ana. ſcr. 1. tart. vitriol. extr. rad. gentian. ſal. vol. ſuccin. armon. vel. fuligin: ana. gr. 25. ol. ſtillat. menth. criſp. gutt. 8. ſabinæ gutt. 6. origani cretic. gutt. 3. cum elix. pptis. f. maſſa ex cujus ſcr. 1. f. pilul. nro. 5. Harum doſis eſt 5. vel. 8. quas bis ut plurimùm in hedomade ſumet ægra.

Rec. Rad. angel. ariſtol. rotund. galang. rubiæ tinct. ana. drag. 3. fol. puleg. menth. criſp. ſabinæ, ana. m. 1. baccari. lauri, junip. ana. unc. ſ. ſem. ſinapi, fœnicul. ana. drag. 2. croc. cinnam. ana. unc. ſ. cariophil. flamed. cort citri, ana. dr. 1. ſ. conciſis & contuſis, canthoroque lapideo inditis affunde vini gallici pintulas 5. poſtque infuſionem per octiduum, ſingulis matutinis de hoc vino uſurpandum ad unc. 4. ac 5. inſtillatis unicuique doſi ſp. fulig. vel ſalis armon. gut. 6. 8. aut 10.

Rec. Sal. arthemiſ. ſcr. 2. borac. venet. tart. vitriol. ana. dr. ſ. croc. ſcr. 1. ol. ſuccin. gutt. 6. menth. cripſ. ſtillat. gutt. 3. m. f. pul. in 6. doſes, de quo ſingulis veſpertinis doſim cum vino medicato ſumet ægra.

Ad digeſtionem juvandam, hauſtus vini medicati ſumi poteſt, varia ejuſcemodi deſumantur ex cap. de ſuppr. menſ. & à practico in promptu concinnantur.

Notandum horâ unâ aut alterâ poſt deglutitas pilulas cerevìſiam calidam vel brodium

ſine

ſine pinguedine ingeri debere ut inciſa pituita minori negotio educatur: Notandum quoque ſi initio cruditates in ſtomacho hoſpitantes & turgentes, viam per ſuperiora affectare videantur: quia quo natura vergit, eò ducenda, & brevior ac rectior eſt via à ſtomacho ad os quàm ad anum, catarctico prævalere vomitorium, quòd tum magis præſentaneum eſt remedium, quàm reiteratę per inferiora purgationes; ſed videndum nil vomitum vetet.

Si phlegma peccet; hydragoga purgantia ac ſudorifera in uſu ſint, de quibus cap. 2. actum.

Non rarò febris alba virginum in cauſa eſt inordinationis menſium, & eo caſu à calidioribus auxiliis ceu ab angue cavendum, quin potiùs exhibenda ea quæ ſanguinis fervorem ac veneris ſtimulum moderantur, inter quæ, ſi apta ſit tempeſtas præmiſsâ catharſi, nullum præſtantius noſcitur remedium quàm aquarum Spadanarum potatio, quibus plurimas perſectè curatas mihi & Collegis videre licuit.

O

CAPUT VIII.

De Difficultate Menſium.

MEnſes difficiles ii ſunt, qui aliquot antequam fluant 4. 6. vel 8. diebus, aut etiam dum actu fluere incipiunt, comitem habent inſuetæ moleſtiæ ſenſum, v. g. inquietudinem in toto corpore, capitis dolores, oris, ventriculi, ventris ac lumborum morſus, indigeſtiones, animi deliquia, convulſivi affectus, &c. Et quædam in his, quædam in aliis; quæ ſimptomata fluentibus menſibus remittere ſolent, aut ſaltem minùs acriter continuant.

Cauſæ hujus affectus ſunt, error in modo vivendi circa menſtruam periodum commiſſus, vel præexiſtens vitioſa ſanguinis diacriſis, vel uterus exulceratus, vel vaſorum uteri dum comprimuntur à glandulis turgidis, minor flexilitas & magna divulſioni inobedientia.

Verùm enim verò is fit diætæ error, ut circa menſtruorum adventum cruditas acido viſcida in digeſtionis viſceribus generetur & niduletur: ſuccus bilioſus menſtruâ fermentione acrior ac volatilior redditus, & ubertim ad inteſtina devolutus, in occurſum ejus

aciditatis venire nequit, quin cum illâ potenter & viriosè effervefcat. Unde ambo inter colluctandum proripiuntur in nerveam inteſtinorum tunicam, quam ſpiculis acriter pungendo ac mordendo ſpaſmodicè contractura ſunt, & fiunt lancinantes vagi ac mirè torquentes dolores; & quod magis eſt, ſi dolorum vehementiâ & contumaciâ, traducatur inordinatio in ſpiritibus cerebri incolis; illi inordinatè in partes ſubjectas influendo, eaſdem inordinatè moturi ſunt, & datur convulſio in ſexu ſequiori nomine hyſterica.. Fui (inquit Etmuller. cap. de diffic. menſ.) aliquando vocatus ad mulierem quæ ex læsâ diætâ, cùm inſtarent menſes, graves abdominis patiebatur dolores, & ſubindè recurrentes leves hyſtericos paroxiſmos.

Sit jam in ſex non naturalibus peccatum, ejus naturæ ut menſtrualis turgeſcentia plus æquo intendatur: recrementum uterinum in vaſis laſciviens, ſanguini ejusque humoribus nimis confundetur, quàm ut è ſinu ſanguinis intra propria colatoria facilè decidat. Colatoria inſuper propria, vaſis nimio ſanguinis orgaſmo admodùm diſtentis coarctanda ſunt, & purgamen uterinum inhibetur à ſecretione. Ab hac verò diſtractione internâ oriuntur inquietudines, laſſitudines, ac dolores corporis quaſi à fuſtigatione, item anhelitus difficilis, dolor capitis tenſivus &

pulſativus, & alia meræ febris ſimptomata.

Ubi ſanguis exoticis particulis refertus eſt; incremento uterino in vaſis reſiduo, ſui ſemel facto juris, latitantes in ſanguinis gremio exoticæ particulæ, ſui pariter juris fiunt, quorum bino concurſu ac junctis viribus, vitioſa & turbulentior exſurgit fermentatio ſanguinis & accidunt ſimptomata jamjam expoſita.

Rursùm ſub illâ præternaturali ſanguinis ebullitione vitioſum fermentum ventriculo ſuppeditatur & acriùs, undè ventriculi cruditates, morſus, nauſea, ac vomitus, vel nullum ob altiorem illius ſanguini permiſtionem, unde deficit appetitus, ſitis tamen urget præ ſanguinis excandeſcentiâ, & urinæ admodùm rubent. Si bilis exin acrior & extricatior, ſuccus etiam pancreaticus vitiosè acidus ad inteſtina devolvantur; ſi bini ſucci ob mutuam hæterogeneitatem efferveſcentes, accitis etiam in colluctationem, qui in primis viis hoſpitantur, degeneribus ſuccis, copioſos generant flatus, & inter efferveſcendum hinc inde delati, in ſenſibiles inteſtinorum tunicas aculeis ſalinis atrociter impingunt, undè colica mirè crucians naſcitur. Cum quandoque alvo nimis fluxâ ob acceleratam indè vermicularem inteſtinorum motionē, accedit ſæpè difficultas reſpirandi convulſo per conſenſum ac vicinitatem dia-

phragmate, necnon à flatibus diſtendentibus, deorſum deſcendere cohibito, & ex torminum ferociâ, ob tenuem in ſexu muliebri liquidi nervoſi, nervorumque texturam, varia alia accidentia ut ſpaſmodici motus ſincopes, &c. ſubveniunt.

Ex ſanguinis impuritate, menſium difficultati obnoxiæ reperiuntur ſedentariè ac otiosè viventes, in quibus defectu exercitii ſanguis pravorum ſuccorum onere non depuratur, hypocondriacæ, ſcorbuticæ, & aliæ quæ ſalinâ ſanguinis intemperie donantur, hæc annuente Etmullero ac experientiâ.

Exulcerato utero vel aliâ quâvis parte difficiles quoque menſes evadunt: conſtanter enim obſervatur vulnus inflictum, aut ulcus ubicumque enatum, inſtante tempore, quo menſtruum tributum ſolvi ſolet, exaſperari & recrudeſcere magis quàm anteà, ex ſanguinis promiſcuorumque humorum ſubortâ acrimoniâ quam nova fermentatio induxit, fluit quoque paucior ſanies eaque acrior per continuum ſolutum, menſibus inſtantibus & hujus fluxus ſanioſi imminutione efferaſcit, ſanguinis efferveſcentia, ejuſdemque craſis non parùm pervertitur, undè varia ſuboriuntur accidentia,

Difficiles porrò menſes fieri, ſi venulæ glandulis uteri tumidis compreſſæ, divulſionem facilè non recipiant, patefaciunt ventris

infra umbilicum & circa uteri circumſcriptioné ac lumbos, dolores inſigniter gravativi tenſivi & pulſatorii ob rationes in fine capitis primi allegatas, cum adjunctis accidentibus ſed gravioribus. Ex difficili venularum uteri diſcluſione difficiles patiuntur menſes, ſteriles & virgines quæ iis inſtantibus plus affliguntur quàm quæ pepererunt. *Iis enim quæ pepererunt*, reſtante Hippocrate, *fluidiores ſunt venulæ ad menſes, fluidas autem ipſas fecit purgatio illa quæ fit à partu.*

Menſes etiam in nonnullis difficiles evadunt dum ſolummodò fluunt, & adeò quandoque dolorifici ut parturientium cruciatus emulentur: & in cauſa eſt ſanguinis exeuntis ſalſedo, qui inter exeundum in partem vaſculorum uteri divulſam impingendo, dolorem infert, ex vellicatione ſpiritus in fibras uteri largiùs affluunt, cum anomaliâ unde ſpaſmodes uteri ac ſtillicidium menſium cum dolore, quandoque etiam retentio. Sic apud Timæum lib. 4. caſu 10. Mulier circiter 25. annorum conſtitutione corporis melancholicâ, paucis diebus menſtruatim purgabatur, parumque ſanguinis excernebat ſtillatim & cum dolore. Jungitur etiam aliquando inane fœces excernendi deſiderium. Mihi in praxi videre licuit virginé ac nuptam ſanguine acri preditas, quę fluentibus menſibus tantos uteri dolores ferebant ut quoſdã paſſionis hyſtericę

inſultus ſæpè experirentur, & exin menſium regreſſum ceu mortem ipſam exhorrerent, à quo affectu, juvante Numine, præſidiis ſalinam intemperiem corrigentibus propediem ſanavi. Id malum in exulcerationem uteri deſciviſſe obſervavit Foreſtus lib. 28. obſ. 37. & non rarò diutiùs durat etiamſi guttatim ſtillet, adeò ut aucti fluxûs rationem, ſi tempus durationis perpendatur, ſubeat; prout Zacutus Luſitanus praxi admir. lib. 2. obſ. 103. notavit in fœmina quæ ſtillantis nectaris ſanguinei evacuatione diutinâ in cachexiam lapſa eſt.

Diagnoſis affectus ex ægræ verbis prout cauſarum ex ſedulâ prædictorum inquiſitione ac temperiei notione plenior habetur. Prognoſis etiam ex prædictis luculenter perſpicitur, quibus addendum effatum Etmulleri. *Virgines* (inſit cap. propr.) *difficultatem menſium patientes, ubi nupſerunt & gravidantur, pati ſolent uteri ſuffocationes, prout ipſe plura novi exempla*. Id autem præſertim hactenùs obſervare potui in illis quæ virgines, ex impuro ſanguine, difficilè ac laborioſè menſtruatæ ſunt: ſanguis enim tempore cœlibatus, mediis menſtruis à fœculentiis partim repurgatur, quæ fœculentiæ in gravidatione ob menſium emanſionem retentæ & in magis accumulatæ, factâ in ſinû ſanguinis commoratione, per trituram fermen-

tationis; tenuem adeò formam ac molem tandem ſortiuntur, ut ſpirituum tenuitatem acquirendo, promiſcuè cum ipſis in cerebro tranſcolentur, & eorumdem anomaliam per mutuam exploſionem excitent.

Difficultas menſium ex eo quod compreſſæ uteri venulæ, divulſioni fibrillarum nimiùm reſiſtant, in inflammationem ac gangrænam uteri ac ipſius colli nonnunquam tranſit, qualia extant exempla in Hildano.

Cura variatur pro cauſarum varietate: alia eſt etiam intra, alia extra paroxiſmum menſtruum, præſervatoria nempè & curatoria. In paroxiſmo, ſimptomati urgenti & menſium exitui ſimul conſuli debet, & ideò auxilia ejus ſint naturæ oportetquæ mixtas habeant facultates, ſubveniant ſcilicet unâ ſimptomatum ſedationi, & provocationi menſium.

Quando itaque ob commiſſum in diæta errorem aut ſanguinis diacriſim inſtantibus menſtruis ſuperveniunt colici dolores, pervidendũ medico an illi ſint cum materię cauſantis acrimonia vel viſciditate: & ubi pendent à materiâ craſsâ rarefactâ & in flatus reſolutâ, enema ſtatim plures ſimul indicationes perſolvens injicitur, ſcilicet ex emollentibus laxantibus, anodynis & emmenagogis v. g.

Rec. Rad. alth. unc. 3. fol. marrub. majo-

ran. flor. camomill. ana. m. 1. ſ. baccar. junip. laur. ſem. lini, ana. unc. 1. ſem. aniſ. cumin. ruth. ana. unc. ſ. coq. in cereviſiâ novellâ & in colat. lb. 1. diſſol. bened. laxat. unc. 1. el. hiær. picr. unc. ſ. ſal armon. dr. 1. m. f. enema calidius quam ferri poteſt injiciendum.

Aliud parari poteſt ex eodem vel ſimili decocto cum additaméto vini benedicti turbidi ad unc. 2. vel 4. magma decocti abdomini applicabitur & ſummum dabit levamen. Si primo enemate dolor non ſedetur, alterum eodem die debet injici. Riverius cent. 4. obſ. 85. perhibet virgini circa tempus menſtruæ purgationis, imò in ipſo fluxu dolorem colicum ſpurium, eumque atrociſſimum per 2. & 3. dies patienti, ita ut aliquando menſtrua purgatio præ dolore ſupprimeretur, ſe ſubveniſſe clyſtere laxante & carminante. Si tamen colica enemate reiterato, continuatisque fomentis calidis non remittatur: in vino calido vel juſculo aliquot guttulæ olei aniſi propinentur? quo oleo colicam ejuſmodi in momento ſæpè idem Riverius ibidem loci ſe ſuſtuliſſe oſtentatur. Valet & mixtura hæc.

Rec. Aq. puleg. fœnic. ana. un. 2. aq. hyſter. unc. 1. ſp. ſal. armon. ſuccinat. dr. ſ. eſſent. caſtor. dr. 1. ſyr. è marrub. è cort. citr. ana. un. ſ. m. f. potio in 2. doſes infra ſex horas exhibendas. Vel.

Rec. Pul. flaved. cort. aurant. ſem. cumin.

ana. ſcr. 4. caſtor. croc. ana. gr. 15. m. f. pul. in 2. doſes cum vino albo calido ſumendas.

Etmullerus cap. prop. ſequenti mixturâ graves abdominis dolores, & ſubindè recurrentes leves hyſtericos inſultus in muliere ſedavit cum menſium eruptione.

Rec. Aq. hirund. cum caſtor. unc. 1. ſ. aq. carminat. unc. 1. aq. puleg. un. ſ. ſpermat. ceti dr. 1. ocul. cancr. ſcr. 1. antimon. diaph. ſcr. ſ. ſal. vol. ſuccin. gr. 8. ſyr. de canell. dr. 6. m. f. portio cocleatim ſumenda.

Hæc vel ejuſmodi alia valdè ſunt commendanda in hocce caſu, quippe quæ non modò materiam viſcidam incidunt, deliteſcens ac laſciviens in viſcido acidum domant, & flatus reſolvunt diſcutiuntque, ſed inſimul menſtrua in fluxum ſollicitant. Verumtamen ſi colica contumax ſit ſummèque urgeat, ut ſpaſmodicus motus accidat & tentatis prioribus ſubſidiis renitatur; ad ipſum opium non gravetur Medicus tranſcendere; aſt hâc obſervatâ cautelâ, ut idem miſceatur cum emmenagogis: opii namque uſu dolorum atrocitas certò ſedatur, & miſcelâ uterinorum, menſes opio aliàs ſupprimendi in fluxum optatum advocantur. Quare opium cum caſtoreo & croco paratum prænotatis auxiliis adjicietur; pilulæ etiam Hoferi in hercul. med. lib. & pag. 306. confectæ ex extr. calam. aromat. helen. zeduar. gentian. card.

ben. & aloes cum laudan. opiato præſtantiſſimæ ſunt, ut & pilulæ de hiera ſimpl. cum agaric. aloephang. Ruffi, de ammon. addito opio. Item hic bolus ex ſucco ruthæ cum vino albo expreſſo, vel ex decocto flor. camomil. in cereviſia facto, mira efficit.

Rec. Theriac. andr. drag. 1. ſpermat. ceti, ſcr. 1. diaph. rec. gr. 15. ſal. ſuccin. vol. ſcr. ſ. opii gr. 1. cum ſyr. de arthem. q. ſ. f. bolus.

Doloris immanitatem electuarium ſubſcriptum placare dicit Heurnius method. ad prax. lib. 2. cap. 14.

Rec. Pul. diamoſch. diamb. ana. dr. 1. ſ. caſtor. ſcr. 1. opii depur. ſcr. ſ. cum ſyr. de arthemiſ. f. opiatum, datur dr. 1. ex vino in quo flavedo citriorum fuit macerata.

Dum colica pendet à materiâ acri pungente (quod ardoris ſenſu in abdomine, ſiti intensâ ac febre ſignificatur;) Cliſter leniens anodynus uterinus & acrimoniam colluctantium humorum deprimens, & depreſſos ad anum derivans imponetur: decoctum fiet ex rad. & fol. alth. fol. viol. arthemiſ. flor. camomill. ſem. lini, furfure macri colaturæ, addetur elect. diacatholic. un. 2. ſal. prunell. dr. 1. ſ. ſacchari rub. un. 1. Rejecto Cliſtere juſculum pingue in quo flores camomillæ incoctæ ſint, aut ol. amigd. dulc. ad un. 2. 3. cum jure pulli, vel butyrum inſulſum ad ignem liquatum & ſaccharo aut melle reſperſum quantitate 3.

vel 4. unciarum inſumetur, & hoc ultimum Zacutus Luſit. prax. hiſtor. lib. 5. cap. 9. in menſtruatis, torminibus, oppreſſis experientiâ continuâ confirmatum aſſerit. Ubi dolores in primis ac tenuibus inteſtinis ſæviunt; enema præcitatum injici proderit, ut craſſiora inteſtina à fœcibus purgentur, ſed illo exonerato, mixtura ſequens epota curam abſolvet.

Rec. Mann. el. unc. 2. cremor. tart. ſpermat. ceti, ana. dr. 2. diſſolvantur in juſculo, cui flor. camom. calend. & centaur. min. incocti ſint & ſumatur unâ vice. Hâc potione efferveſcentia colluctantium humorum deprimetur, acrimonia frangetur, & humores mitigati clementer educentur, & menſes in fluxum venient.

Cùm menſes laborioſi evadunt ex pravitate ſangninis, quæ ovante purgamine uterino confluo, debacchatur.; urget ſitis & febris ſolito major, dolor vehemens capitis, &c. & nova ſæpè ſe adjungunt, ut pleuritis, difficilis anhelitus, ſaltus cordis, ſpaſmodici motus, quorum omnium curatio depromatur ex cap. 2. & 3.

Non ſatis eſt Medico paroxiſmum debellaſſe, juvat iterùm recidivam impedire: monendæ ergo fœmellæ legitimum ſex non naturalium uſum faciant, ac potiſſimùm circa tempus menſtruorum quo prava ſimptomata

ſeſe oſtentant. Octiduo verò vel circiter ante menſium regreſſum, catarcticum quoddam ſumendum prębeatur, ut repurgato ab impuritatibus abdomine ſicut & ſanguine, redivivi abhinc affectus præcaveantur. In hunc finem conducunt valdoperè pilulæ hyſtericæ Horſtii, quibus octiduo ante erupturos menſes ad ſcr. 1. ante cœnam conceſſis, difficiles menſes proſperè ſanavit: earum deſcriptio habetur Cap. 2. Pilulæ etiam tartareæ deſcriptionis Scroderi à me comprobatæ ſunt à ſcr. ſ. ad ſcr. 1. Valent & pilulæ de ariſtolochiâ Fernelii, ubi tamen labor eſt ex ſorditie ſanguinis, fluxis menſibus ſtatim providendum illius purificationi (ſi faverit tempeſtas) epotatione aquarum mineralium, quas à muliere 25. annos natâ, & ex ſcorbuticâ propenſione laborioſè menſtruari ſolitâ ex meo præſcripto feliciter uſurpatas vidi.

Si menſes ſint difficiles, quia ſanguis acrior in ſuo exitu latera venularum divulſa irritat ac mordet; concedenda ſunt ſalſedinem demulcentia, velut diluentia & incraſſantia, quorum ope ſalia luxuriantia in minima dirimuntur & quaſi viſco involvuntur, ita ut punctionis vim amittant, & ejuſmodi auxilia ſuum uſum poſtulant intra & extra tempus menſtruorum. Qualia medicamenta, tale etiam regimen vitæ ſervandum.

Si menſes ex ulcere ſint dolorifici, tempore

fluxus nil vel parùm medicandum ; Medicus ſit præcipuè ſollicitus in diætam rectam, niſi urgeant ſimptomata quibus ritè ſuccurrendum erit, ſed finitâ menſtruatione cura ulceris per convenientia ſuſcipietur. Demùm ſi menſtruatio laborioſa ſit ob vaſorum uteri nimiam divulſioni renitentiam ; inſiſtet Medicus balneis & inſeſſibus ex emollientibus : ſic illa emollita aperiri ſe patientur. Virgo 16. annorum nata menſtruari non poterat ex hâc causâ, miſi illam ad thermas de *Chaud-Fontaine* propè Leodium, quibus uſa bis in die per 10. dies, miſſo dein ex pede ſanguine ad 4. uncias, menſes prodierunt. Si vaſa uteri balneorum emollitioni renitantur ; D. Freind in ſuâ emmenologiâ emeticum ſuadet ; quia vomitus enixibus, concitatus ſanguinis impetus, vaſorum renitentiam ſuperaturus eſt.

CAPUT IX.

De Menſium per aliena loca excretione.

SAnguis menſtruus per uterum ceu organum ad illud deſtinatum, fluere naturaliter ſolet, in nonnullis tamen modo pertinenter & conſtanter, modo accidentaliter per aliena

& incongrua loca fluere teſtantur hiſtoriæ medicæ & quotidiana praxis, ut per nares, aures, oculos, gingivas, aſperam arteriam, umbilicum, inguina, hæmorrhoides, per vomitum, &c.

Cauſa hujus divortii menſtruorum haud alibi querenda eſt quàm in ipſo utero, in cujus ſubſtantiâ inſtrumenta menſtruationis, numeroſæ ſcilicet glandulæ hoſpitantur: enimverò ſi illæ ſecretioni purgaminis genuini inhabiles evaſerint; exin illud in vaſis congeſtum, & recurrente excretionis menſtruæ periodo evectum, cùm non valeat per viam à naturâ conceſſam ſecerni, exitum ſibi parare nititur quà poteſt commodiùs. Quare cum ſanguine circulatum per cola magis analoga corporis quorum inquilina ac domeſtica recrementa, connubium ac miſcelam illius minùs recuſant, derivatur, proinque per glandulas modò naſales, modò bronchiales, modò gaſtricas, modò inteſtinales, &c. cum impetu & ſervatâ ſuſceptâ in ſanguine turgente efferveſcentiâ excernitur: unde cùm per has aut illas glandulas non poſſit exundare purgamen uterinum quin protinùs illæ plus æquo diſtendantur, & ita diſtentæ premant interjectos venularum ramulos; ſanguis continuò affluens per arterias & in venis revehentibus, ipſis, continuis in viâ circulationis præpeditus, in tantùm conge-

rendus eſt, ut compreſſarum venularum diſruptioni ſibimet anſam faciat & erumpat foras in illa parte corporis, cujus glandulas ſecretioni comparatiores recrementum uterinum ab effluxu per propria cola cohibitum reperit.

Vitium illud cujus ratione glandulæ uterinæ humori genuino aditum non concedunt, pendet ab obſeratione medio membranæ aut carnoſitatis in utero enatæ, aut ab indurata cicatrice aut cruſta derelictâ, vel à compreſſione per quemvis tumorem, vel ab obſtructione per pituitam craſſam, & quidem plerumque propter frigus externum inſtantibus aut fluentibus menſtruis in uterum incautè ſuſceptum. Platerus obſ. med. lib. 3. raram ac miram refert cauſam menſtruorum aliò quàm per uterum prodentium, narrat hiſtoriam mulieris, cui poſt ablatum exſectumque uterum, deinceps cùm purgationis tempus inſtaret, per vicinam anum ſtato tempore & colore convenienti menſes effluerent, ſanitati reſtituta diu poſt vixit, haud aliis uſa remediis quàm quod cùm menſtrua per podicem ſegniùs fluerent, venam juxta malleolum quandoque aperiret.

Vitium illud eſt connaturale, ut quibus nunquam menſtrua per naturalem locum eruperunt, & hæ ſervato ordine per menſtruos circuitus in hypogaſtrica regione, aliquam

aliquam moleſtiam ferunt, quæ ocyùs & pejor in partem ſuetim exſtillatoriam tranſit, vel aſcititium ut illis quæ jam menſtruatæ fuêre, præludium fluxurorum aliò menſium perſentiſcunt per acceſſum inſolitorum in quadam corporis parte ſimptomatum dum tempus menſtruorum advenit.

Prognoſis hæc eſt. Fluxus ſanguinis menſtrui aliò quàm per uterum, ſi oriatur ex inducta in utero cicatrice, vel enatâ excarneſcentiâ, vel membranulâ obſerante, & ſimilibus; vix aut nunquam ad locum muliebrem naturalem reſtitui poteſt: uterus enim quatenùs ſat profundè in hypocondrio reconditur, legitimam medicaminum externorum applicationem vix ac ne vix admittit. Stipatur ſterilitas teſtimonio Zacuti Luſit. qui lib. 2. obſ. 100. habet caſum juvenculæ cui ſervato per menſtruos circuitus ordine, menſes pertinenter per gingivas manarunt, cum conjugii ſterilitate. *Menſtruis deficientibus, mulieri ſanguis è naribus profluens bonum.* juxta Hippocr. aphoriſ. At non modò è naribus, ſed ex alia quavis parte, cum ubicumque aſcititia menſtruatio, naturali uterinæ ſuppleat. Præpoſterus ſanguinis menſtrui motus omnium peſſimus qui fit per pulmones; quia pulmonum munus in motu perpetuo conſiſtens, divulſorum vaſculorum conglutinationi ad quam maximè ſedatio & quies

deſiderantur, planè contrarium eſt, unde phtiſis talem ſæpè menſtruationem excipit.

Quod attinet curationem, Medicus ut primùm ad fœminam fluxu cruento, præter uterinum, laborantem accerſitur, meminerit inquirere de ſtatu menſium, ſi famæ conſulere velit, ne fluxum criticum pro ſimptomatico accipiat, ex quo non modicùm famæ detrimentum feret & ægra non leve periculum, teſte Hippocrate in coacis, ſic loquente. *Qui ſtatis temporibus ſanguinem profundunt, ſi loco non profunderint, epileptiâ moriuntur*. Qui aphoriſmus docente Dureto, fœminis prout viris convenit, nec reſtringendus ad ſolam epileptiam, ſiquidem experientiâ doceamur & authorum monumenta teſtentur, à ſanguine menſtruo è diverſo fluente & inconſideratè retento, melancholiam, maniam, pleuritim, apoplexiam, & alia periculi pleniſſima mala oriri. Accerſitus igitur Medicus nil præcipitet; at mox inquirat num menſes unquam ex utero fluxerint? an tempore quo fluere ſolent, perverſa hæmorragia ſuperveniat? Videat deſuper num levamen vel noxa exin percipiatur? ſi fluxus progrediatur cum bonis ægræ rebus tempore debito: hoc de nomine in bonis ducatur & pro critico habeatur? Cognito ſanguinem menſtruum ad alias partes refluere & effluere, rimandum adhuc num refluxus

ille & effluxus pendeat à causâ invincibili aut vincibili: ubi notum fuerit hæmorragiam ab utero refluam pendere ad invincibili, ut adnatâ utero carnoſitate, obductâ cicatrice, &c. auxiliis medicis haud tentandum revocare menſtrua ad locum naturalem, ſed totum negotium operanti rectè naturæ relinquatur? niſi tamen menſtrua in partem valdè nobilem divertantur, v. g. pulmones, tunc enim quia hæmopthiſim facilè inſequitur phtiſis, moliendum eſt negatam in verendis purgationem, per menſtruam in pede venæ ſectionem implere, vel ad viam ignobilẽ revocare, velut ad inteſtinum rectum per hæmorroides, nam juxta Hippocr. *Retentis menſtruis, laborantes hæmorroides pati bonum*, quod applicatis in ano ſanguiſugis tentandum, vel utere conſilio Corn. Celſi quod lib. 4. cap. 4. ſic ſe habet. *Si mulieri cum menſtrua non feruntur ſanguis ex ore exit; commodiſſimum eſt cucurbitulam inciſis inguinibus ejus admovere: vis cauſam? vix ullibi locorum accedes, vel propiùs ad vulvam, vel avertes efficaciùs efferum illum impetum quem ſanguis uterinus facit in partes ſepto tranſverſo ſuperiores.* Ubi menſes ſemper aliò quàm per uterum prodierunt, dubium eſt an cauſa efficiens ſit mobilis vel immobilis? ideò tentetur ad naturalem venæ ſectionẽ in pede aliiſque emmenagogis, approximante fluxus periodo, menſtrua repellere,

quæ ſi, his nonobſtantibus & ad aliquot periodos repetitis non retrocedant ad uterum; nutui naturæ committantur, niſi ex parte nobiliori erumpant, quo in caſu ad ignobilem ſupradicto modo reducere conabitur; cùm menſes ab utero in aliam partem retrocedunt & affluunt, ob obſtructionem colorum uteri à pituitâ craſsâ, aliquot ante fluxum diebus, ſex puta ſeptem octovè; balnea calida ineantur quæ ad materiam obſtruentem fundendam atque digerendam, indicibilis ſunt efficaciæ? poſtridie verò ultimi balnei aperiantur venæ inferiores & emittatur ſanguis quantum ſatis eſt, derivando ad uterum copioſum ſanguinem, non autem tollendo plenitudinem; adeóque parcè, idq; bis tervè repeti poterit. Harum venæ ſectionum fructus in eo ponitur quod ſanguis ad uterum cum purgamine uterino abundantior nedum affluat ad inferendam glandularum intumeſcentiam, & adjunctam venularum proximiorum compreſſionem, verùm etiam uterus indè magis incaleſcat. Undè obſtruens altè mucus & balneis indiſſolutus ſolvitur pari planè modo ac juſculum vitulinum vel gelatina, quæ frigori expoſita coagulantur, deinque coaleſacta iterum liquantur. Enimverò cùm partes incaleſcant ratione ſanguinis fermentantis, magisque vel minùs pro quantitate illius: diverſivâ igitur in talo

venæ ſectione ſanguis ad uterum copioſior determinari nequit, quin & uterus magis incaleſcat, & proinde obſtruens muſcoſitas colliquetur. Interim cùm hæc fiunt, alvus aſtricta aperietur enemate calidiùs injecto, & internorum emmenagogorum uſus adjungi poterit.

Ubi menſes retrocedunt ad hæmorroides, & cauſa retroceſſus in utero eſt mobilis; cùm fœcunditatis ergo præſtat per organum ad id ab Authore naturæ deſtinatum effluant, ad uterum eos revocare conandum eſt. Ibi judicium Medico difficillimum manet, deliberando quid faciendum: etenim ſi vena tundatur in pede, aut dentur menſes cientia; fluxus magis concitatur ad vaſa ſedalia, ob locorum vicinium, ſi ſtiptica adhibeas? ea etiam ne ferantur menſes ad uterum, ob locorum vicinium, impedient & fluxus ani ſiſtetur, undè varia nocumenta. In hoc caſu quid faciendum, docet Riverius cap. de ſuppr. menſ. *Hæc igitur* (inſit Practicus excellens) *una medendi ratio conferre poterit, ut poſtquam trahentibus ad inferiora uſus fueris, localia utero adhibeas quæ humorem commotum magis ad uterum alliciant*. Localia habentur Cap. 4. hujus Opuſculi. Hæc de menſtruis in naturali & præternaturali ſtatu ſufficiant? ut tamen ſtemus promiſſis, reſtat agere de fluore muliebri, quare ſit

CAPUT DECIMUM ET ULTIMUM.

De Fluore muliebri.

ETſi per uterum nihil aliud quàm ſanguis individuo muliebri ſuperfluus & unà collectum in vaſis purgamen uterinum, ſingulis præter propter menſibus evacuari ſoleat: attamen accidit interdum ut præter naturam aliæ quoque res per eum excernantur. Inter illas autem frequens habetur fluor, nomine, Muliebris, albus, ſeu uterinus, rheumatiſmus & catharicus uteri, excretio vitioſa ex utero, ubi illuvies incruentà eáq; in variis ac ſingulis ſubjectis non ſemper eadē exoneratur præter naturam. In fluxûs illius ortum, cauſas, diſcrimina, ſigna, aliáque momenta inquirere opus incumbit.. Humor incruentus, fluxum muliebrem conſtituens ex quodam uteri meatu depluat neceſſum eſt. Meatus uteri per autopſiam hi agnoſcuntur, tuba nimirùm fallopiana, venæ, arteriæ, ac nervi per uterum decurrentes, pori foris ſpectantes & tranſpirationem uteri educentes, limphæ du-

ctus, & tubuli quidam utero peculiares, glandulis quibus tota interna uteri facies conſpergitur, enati & continui. Ex quonam horum ducticulorum fluor muliebris exſtillat? inveſtigare opere pretium eſt.

Tubam fallopianam fluoris hujus alveolum non eſſe hinc conſtat, quod eam ovulis ex ovario intra uteri capacitatem adducendis tantummodò deſtinatam demonſtret anatomia.

Hunc fluorem ex venis prodire haud eſt rationi congruum, utpote quarum officium eſt ſanguinem ab arteriis defluum ad dextrum cordis ſinum reducere, & quæ apertæ non niſi contentum purpureum effundere valeant.

Neutiquam quoque dicendum ab arteriis immediatè exundare fluidum illud humorale, ab iis namque ſanguinem aſportari in uterum & in venas continuas refluere, eaſdem etiam apertas nonniſi eundem prout venas foras dimittere notiſſimum eſt.

Quis è nervis profluvium album prodire Medicus aſſeret? quippe qui ſint canales ſpirituum, nec dehiſcant intrò foras, compactiori etiam membranulâ involvantur quàm ut ſpirituoſum fluidum utcumque naturâ ſuâ tenuiſſimum transſudare queat. Planè eſt improbabile ſuccum nervorum qui continuo ſuo in partes influxu, omnes & ſingulas invi-

gorando deſtinatur, cujus vel minimo diſpendio functiones tum vitales tum animales elangueſcunt, vel minimam in hâc tragœdiâ partem agere. Si ſuccus ſpirituoſus è ſuis canaliculis, fluoris muliebris formâ effunderetur; non apparet poſſibile ut ſequior ſexus tamdiu huic morbo ſupervivat: ex tantâ namque ſucci ſpirituoſi jacturâ præceps accideret animi lapſus qui morte feſtinatâ & inopinatâ exciperetur. Inſuper dicente Charleton cap. de rheumatiſmo uteri. *Tam exigua ſpirituoſi fluidi copia è cerebro per nervos diſtribuitur quotidie, ut perennandæ rheumatiſmi uterini ſcaturigini neutiquam ſufficiant.*

An dicemus partium uterum componentium contextu naturaliter firmo ac compacto, per quodvis verò accidens laxiori & quaſi ſpongioſo facto, ſuperfluum ab uteri nutricatu ſerum, & in vaſa limphica effluere ſolitum, ab eodem imbibi, & per poros extra proſpicientes in fluorem muliebrem depluere? inter alias cauſas hujus affectus præcitatus Charleton loco eodem eam recenſet: quæ opinio utut primâ fronte veroſimilior videatur, nihiloſeciùs à recto rationis tramite recedit; poſitâ namque uteri eâ laxitate vt relliquiæ ſeroſæ à nutricatu uteri, intra limphæ ductus aut in totum, aut maximam partem non reſorbeatur: ſed intra interſtitiola ſeu poros villis componentibus inter-

jectos effundantur ac exundent: necdum tamen ſtatui poteſt illas intra uteri cavitatem per poros foris ſpectantes deſtillari: hinc potiùs ſequenda foret particularis intercus hydrops. Imbibitus ita uterus ſeroſo latice, eundem foras dimittere nequit niſi per poros vaporoſis ſanguinis effluviis dicatos: ad hoc verò requireretur ut cōmercium quoddam ac connexio aliqua intercederet inter poros inſenſiles excipiendis emanantibus è ſanguine accenſo vaporibus deſtinatos, & interſtitiola pro reſorbendo ſuperſtite ab uteri nutritione ſero in vaſa limphica deſinentia, quod commercium nullus medicorum uſque adhuc ſomniaſſe auſus eſt. Quum igitur fons fluoris muliebris ſit nec tuba fallopiana, nec vena, nec arteria, nec nervus, nec pori excipiendæ tranſpirationis materiæ dicati; reſtat ſcrutari num à limphæ ductibus, an à tubulis utero peculiaribus qui glandulis per uterum ſpiſsè conſperſis adnati ſunt, fluor ille exſtillet?

Aſt quia ex Anatomicis liquet limphæ ductus uteri ſicut alios reliqui corporis, in progreſſu ſenſim coire & rivulorum in modum ſemper augeſcentes, deſinere partim in venas ad diluendum ſanguinis venoſi craſſamentum, partim ad chyli ac limphæ commune Pecqueti receptaculum, ubi ſeſe exonerant: Si quâ ergo ratione limphæ ductus

per uterum excurrentes, fontem fluori uterino aperire poſſunt; illud tribui debet vel eorum diſruptioni, vel illorum corroſioni. Invenimus tandem originem fluoris muliebris pendere ab apertione vaſorum limphægerorum uteri, cujus etiam meminit inſignis Charleton, loco priùs allegato? eam verò perpetuam eſſe & unicam affirmare vetat fluoris varia indoles: nam ſi quis humorem in laborantibus effluentem conſideraverit, obſervare dabitur eum rariùs aqueum ac limpidum, qualem limphæ ductus reſerati dimittere ſolent. Et hoc de nomine fluorem muliebrem, alium adhuc ac crebriorem fontem quàm limphæ ductuum uteri reſerationem arguere evidens eſt, ſuperſunt tantùm glandulæ quibus innumeris conſpergitur, & quarum foraminulis extra pertuſus eſt uterus, in quas novum fluoris muliebris fonticulum refundere liceat. Illas pro fluoris muliebris excerniculo novit Sylvius Delboë cap. de fluor. mulieb. Sed authoritas in Medicis tanti non eſt ponderis ut ulteriùs rem explorare non cogamur: hodierno enim tempore prout priſco, Patrum aſſertionibus non tam arctè adhæremus ut rei veritatẽ ultra inveſtigare nõ deceat, nec niſi in verba magiſtri juretur: quare Sylvium Delboë dum glandulas uteri pro fluoris fonte aſſignavit, rectè opinatum eſſe, ſic memet evincere conabor.

Mihi uterum ejuſque fabricam in demortuis perluſtranti annotare licet internam uteri membranam humore glutinoſo madere, eum humorem per numeroſa quibus hæc membrana pertuſa eſt, foraminula exſtillare, foraminulum quodque finem eſſe tubuli minimi ad glandulam quamque quâ uberi interna membrana interſeritur, deſinentis, & glandulam quamque per tubulum pariter minimum arteriis communicari & adnaſci, unde eum humorem pro lubricatu internæ uteri ſuperficiei ab arteriis perreptantibus exſtillare planè mihi innoteſcit. An verò fluor muliebris eodem loci quo humor utero peculiaris, proveniat? non exiguus conjecturæ locus exin eluceſcit, quod in utero ſupra limphæ ductuum reſerationem quæ perrara eſt, glandulæ implantatæ unica extent via annotabilis per quam depluvium humorum, fluorem muliebrem conſtituens fieri poſſit. Exploratum præterea habeatur univerſum glandularum genus, extra naturalem habitum, variorum humorum exundationi obnoxium eſſe. Verum quidem eſt ex doctrinâ ſecretionum Monſpelii edoctâ liberè cuncta humani corporis cola ſeu glandulas ab ipſis generationis primordiis humore peculiari inſtrui & quamdiu tum cola ſingula tum ſingulorum humor peculiaris, naturaliter ſe habent, quemadmodùm in arte Chymicâ, ut oleum & aqua

ſimul confuſa fluida ab invicem ſeparentur & ſeorſim colligi poſſint, vulgaris adhiberi ſolet emporetica charta, quæ ſi, priuſquam tentetur philtratio, aquoſo fluido imbuatur, aquam philtrari permittit relicto oleo, & vice versâ, ſipriùs hæc charta oleo imbuta fuerit philtratur oleum relictâ aquâ, pariformiter varios corporis ex-&-recrementitios humores per proprias glandulas ſecerni, relicto quocumque alio à primordiis generationis non peculiari: nihilominùs tamen pertinenter obſervabile eſt in practicis glandulas quaſcumque corporis præter naturam & morbosè affectas alienum à peculiari humorem nonnunquam tranſmittere, ſic per inteſtinorum, renum, pulmonum, &c. glandulas, diſtinctos à peculiari humores, variorum morborum ſobolem, ſæpiſſimè tranſcolari adnotatur. Unde quidni ſtatuamus glandulas quæ in interno uteri induvio diſſeminantur, non naturaliter laborantes, alios etiam quam genuinum ac domeſticum, humores tranſcolare, adeòque meram exiſtere fluoris muliebris ſcaturiginem. Quis ſit materiei fluentis ortus, ac quæ natura? Nunc inquirere expedit.

Sylvius Delboë ſtatuit fluorem muliebrem eſſe ſanguinem purum putumque ad glandulas uteri circulatione delatum, qui peculiaris fermenti acerosè corrupti adminiculo

facеſcit in humorem album ac pituitæ ſimilem. Aſt hanc Sylvii doctrinam attentiùs perpendens, non poſſum quin in illam reclamem, ipsâque nihil fingi falſius & fallacius cum Charletone, quamquam aliis rationum momentis, propalem. Sylvius Delboë cum pleriſque modernis ſupponit tot dari in humano corpore peculiaria fermenta quot varia cola, & unum & eundem ſanguinem, variorum fermentorum glandulis inſitorum ope; in varios ex-&-recrementitios humores converti, adeò ut in renibus v. g. detur fermentum immutans ſanguinis partem in urinam, ſuum in mammis ejuſdem aliam in lac, ſuum in jecore ejuſdem aliam in bilem, ſuum in teſtibus, ſuum in cerebro, in glandulis ſalivalibus ſuum, denique ſuum diverſum in diverſis partibus glandoſis in ſanguinis ſubſtantiam pro variâ indolis vi diverſimodè agens. Author eâ imbutus doctrinâ contendit pro fluoris muliebris materiâ ſanguinem à peculiari uteri fermento aciditatis vitioſæ vitiantisque conſorte mutari in humorem album, pituitæ ſimilem. Itaque ſi hanc fermentorum peculiaritatem, merè commentitiam & gratis edoctam patefecero; neceſſum eſt corruat authoris de fluore muliebri ſententia,& falſitatis crimine dignè inculpetur: eruto enim fundamento,quod ſuperſtructum eſt, corruat oportet. Rem aggredior.

Fermenta peculiaria ab ipſo primo tempore generationis, glandularum parietibus inhærent, & continentur eâ quantitate quæ per totum vitæ ſpatium abſumatur in ſuum uſum, vel abſumpta novos natales ſanguini debent. Si primum dicatur, quantilla eſt fermentorum ſingulorum quantitas quæ per totum vitæ decurſum vires ſuas complere debet? utut ſit, interim recta ratio dictitat fermenta quæque per continuam mutationum ſeriem ocyùs enervari debere, quatenùs omne agens, agendo patitur, vel in totum abſumi, quatenùs continuè abſumitur eorum aliquid, ſeu continuè minuitur eorum quantitas quæ lateribus glandularum infigebatur à primo generationis principio. Quemadmodùm enim dolium acore imprægnatum, licèt vino aut alii liquori infuſo & ſtagnanti acorem ingerat, illum tandem deponit ſi infuſum acoris expers, per aliud emiſſarium effundatur repetitim novum infundendo & effundendo, quia acidæ particulæ parietibus dolii infixæ, & fermenti munus in infuſum fluidum obeuntes, continuâ affuſione & effuſione novi liquoris ſolventur & abripientur ut demùm imprægnans acedo abſumatur: pari ratione implantatum glandulis ſingulis fermentum brevi tempore per continuum novi ſanguinis affluxum & mutati effluxum abſumendum eſt. Sic enervato & abſumpto

glandoſi generis quoquo fermento, unaquæque ſecretio ocyùs defectura eſt, quæ, quia abſumi ex toto & deficere nequit citra interitum animalis, vita præſenti ævo perquam brevis, longè adhuc brevior foret, ut animal ad lucis auras adductum, mortem ocyùs oppeteret.

Enervato igitur & abſumpto ſecretorii cujuſque fermento, materia reparatura è ſanguine ſuggeritur: ſed hæc ex hypotheſi è ſanguine ſecerni nequit ſine fermento, ſicque plurium fermentorum congeries ſimplicitati naturæ planè oppoſita admittenda venit. Præterea non eſt conceptu facile qui fermentum v. g. uteri glandulis inſitum ſemel vitiatum, in naturalem ſtatum reſtitui valeat ob inacceſſibilem, ad locellum fermenti vitiati, medicaminis introſumpti & correcturi virtutem: circa hoc argumentum acutus Bellinus opuſc. propoſ. 40. perbellè raciocinatur, *Nihil jam magis* (infit) *commune eſt apud fermentorum vindices medicos quàm unumquodque morbi genus provenire à vitio fermenti alicujus ſpecifici, ut appellant, unde remediis ſpecificis plena ſunt omnia, remediis ſcilicet quibus aſſerunt & exiſtimant in ſuum naturalem ſtatum redigi fermentum illud quod vitiatum ſupponunt in hoc aut illo morbo, Oſtendendum igitur perſiſtendo ſemper in illâ ſuppoſitione, nullam ſolutionem ſine fermento fieri, oſten-*

dendum, inquam, remedia illa ſpecifica fermentorum eſſe prorsùs inania, & res ultrò patet ex demonſtratis: ad hoc etenim ut remedium ſpecificum ſingulorum fermentorum derivetur in eorumdem loculamenta, oportet, ut admiſceatur ſanguini & à ſanguine ſecernatur & exprimatur in eoſdem loculos, & admiſceatur fermento ſpecifico, ut ita dicam, laboranti, ſed nulla ſecretio ſine fermento ex hypotheſi, igitur remedium illud ſpecificum in fermentum laborans derivari non poterit ex ſanguine, adeoq́ fermentum laborans cum toto remedio ſpecifico intra ſanguinem acto non convaleſcet, quod ſi fiat, ut aſſumptis ejuſmodi remediis certi ſimus ægros convaleſcere ex vi eorundem remediorum; deducetur ex hoc ipſo fermenta illa peculiaria non dari neque cauſam illius morbi eſſe fermentum laborans: quùm etenim convaleſcat æger abſque eo quod remedium quod ſupponitur ſpecificum fermenti laborantis ad uſque ipſum fermentum laborans pertingat, manifeſtè conſtat quod aſſerimus, unde res eodem recidit dari nempè ſolutiones ſine fermento. & fermenta peculiaria nimis confidenter & nimis infirmè ab aſſertoribus ſuis conſtitui.

Rursùm, fermentum quodque abſumptum, reparatur alio in ſanguine formaliter præexiſtente, & circulationis commeatu, ſolâ philtri neceſſitate aſportato, vel crudiori

ſanguinis particulâ, quæ, factâ ſtagnatione, fermenti naturam induit perinde atque portio maſſæ frumentaceæ & ad acorem ſervatæ pro conficiendo pane fermentũ idoneum evadit. Fermentũ formaliter præexiſtens in ſanguine ſoboleſcit vel ab ipſo ſanguine vel ab alio fermento, ab alio non ſoboleſcit, cùm, ſi indigeat alio ad ſui productionem, oporteat ut hoc aliud indigeat altero, & illud alterum adhuc altero, & ſic nullus fermentorum finis erit. Igitur à ſanguine oritur, ſed ex quibus ſanguinis particulis? nullæ aliæ aſſignari poſſunt quàm reſiduæ ab illius fermentatione, Bone Deus! quanta fermentorum ſpecificorum quantitas uno quoque die futura eſt; certè conceptacula tantæ eorum quantitati admittendæ non ſuffectura ſunt, ita ut in ſanguinis vaſis regurgitent, neceſſum ſit, proinque partim in ſanguinis vaſis, partim in conceptaculis vim ſuam exerant in partes ſanguinis quæ humoris cujusque materia proxima ſunt. Si res ita foret; plus multò quotidie abſumeretur ſanguinis quàm per alimenta reſtaurari poſſet, nec ſibi diu conſtaret animal. Inſuper ſi præexiſtant formaliter in ſanguine, quid opus affluant ſuper cola ad agendum? quidni operantur in ſanguinem quocum commiſcentur in ipſius vaſis.

Neque credendum crudiorem ſanguinis particulam intra glandulas circulationis

beneficio deponi & factâ commoratione, fermenti ſuæ ſpeciei indolem ſortiri. In hoc nimis reclamat lex indeſinentis circulationis, denegans ſtagnationem quæ ad ſuccorum in fermentum degenerationem neceſſaria excogitatur.

Dato hoc fermentorum commento concipi nequit ullatenus, juxta ſublimis D. Chyrac in Montepeſſulano Profeſſoris Phyſiologiam, quomodo natura in operando ſagaciſſima atque ita nihil fruſtra laborans, tanto artificio ac molimine ſanguinem in vaſis producat, ut ejuſdem partem maximam in excrementum inane convertat? Si enim attendamus ad unicam urinam cujus videmus ſeptem octove libras quandoq; ſingulis diebus emitti; ſtatim concipiemus tantam ſanguinis in urinam commutationem & excretionem fieri non poſſe abſque notabili virium detrimento, quinimò certam mortem homini vel robuſtiſſimo, intra dies paucos, foret allatura, qui videlicet vel dierum trium ſpatio per ſanguinis miſſionem ad parem quantitatem: eodẽ planè exhauriretur. Sed ut finis huic diſcrimini imponatur, anne ex hac fermentorũ poſitione Diabetici exhauſto in urinarum depluvium ſanguine, atrociſſimas paterentur ſyncopes, & ante unius diei excurſum vitam cum morte commutarent, quod tamen experientiæ adverſatur. Hæc ſufficiant ever-

tendo commentitiam fermentorum implantationem & peculiaritatem, proindèque ſuperſtructam Sylvii Delboë de fluore muliebri columnam? nunc ſuſcepti ex antè diſcursûs filum reſumere expedit.

Humorem qui in fluorem muliebrem effluit, natales ſuos ab arteriis tenere, intima glandularum uteri per minimum tubulum, ſeu porum ſecretorium, cum arteriis communicatio teſtatur.

Varias corporis humani glandulas certo determinato humori ab ipſo primo generationis ortu & eidem conſtanter ſecernendo in naturali utrorumque habitu, relicto quocumque alio deſtinatas eſſe ſaniores fatentur Medici: Aſt unde pendeat ut humor tam varius & peculiari ita alienus ac copioſus, tanquam rivulus per cola uteri defluat, ordo poſtulat inveſtigetur.

Omnibus benè perpenſis, notandum venit, primò alienos humores per glandulas uteri tranſmeare & exundare in fluorem poſſe, ſi quoquo modo illæ relaxentur: ſic per laxas renum, inteſtinorum, pulmonum, &c. glandulas diverſos humores ſanguinis, præter peculiarem & inquilinum ſecerni non raro obſervatur. Secundò, ſi laudabili ceteroquin exiſtente glandularum uteri tono ac firmitate, humores alii per propria cola ab influxu cohibiti, data per uterum viâ liberiori

effundantur; humores enim per conſueta loca, ob impedimentum eorumdem ſecerni neſcientes, exitum ſibi parare nituntur, quâ poſſunt, id eſt, per cola magis analoga corporis & quorum peculiaris humor ſocietatem atque miſcelam retentorum, minùs renuit, derivari ſolent. Sic experientia docemur, diaphnoen ſuppreſſam per cola modò inteſtinorum, modò renum derivari: unde fluxu alvi, aut urinæ copioſiores. Bilem quoque per glandoſum hepatis contextum ſecerni impeditum, mucori cutis, ſalivæ, urinæ aliisve magis analogis ſanguinis fluidis ſeſ aſſociare; unde aureus univerſi corporis co lor in ictericis, ſaliva amaricans, urinæ ovum injectum aut linteum infuſum flavè tin gentes, &c. Ex his patet liquidò fluorem muliebrem pendere modò à relaxtione glan dularum uteri, modò à facto ad illas humo rum aliorum per cola propria ſecerni neſcio rum refluxu.

Glandulæ uteri flaccidiores fiunt & laxio res ratione ipſius cujus induvio interno abun danter & paſſim interſperguntur, laxioris flaccidioris: & ob hanc maximè cauſam, flu ſanguinis intra illas admittitur. Utero eni relaxato, ſanguis per ipſum lentiùs ſegniùs circulare cogitur quàm per alias corporis pa tes firmiores & motu ſiſtaltico validiori pr ditas: quatenùs ſanguinis permeantis mot

progreſſivus flacciditate uteri abſorbetur & minoratur, facto lentiori commeatu motus ermentationis pariter minuitur. Hinc humoes promiſcui minùs confunduntur qui exin uxta latera arteriolarum uteri, pro unâ omnium fabricâ meatu conico deſinentium; per preſſionem decidentes, in immiſſaria glãulalarum in majus ſpatium, præ flacciditate uctilia, & ita impetui humorum reſiſtendo mparia, niſu continuo ac preſſione ſanguinis affluentis propelluntur, & inde extra terum, unde fluor ſe prodit.

Uterus adeòque implantatę glandulæ à firmitatis tono in laxiorem migrant, modò vitio ſanguinis, modò non, ſed cauſis externis.

Vitio ſanguinis, ſi illius maſſa ſit vappidá, el cacochimica, vel viſcida, vel fluidior.

Verùm enim verò quoniam pro ratione nguinis recrementa ad varios uſus exoriunur: ſequitur ex vappido ſanguine nonniſi arvulam & effœtam recrementorum adeòue ſpirituum copiam generandam & per ıcernicula cerebri dimittendum eſſe in corus inferius, adeòque uterum undè illius & ıſitarum glandularum relaxatio.

Quia ſanguis cacochymicus crudum chyım ex primis viis adventantem ſat volatiliındo & aſſimilando impar eſt; eodem ergo nuſtus & infarctus is remanet & circum:ur; unde partes non niſi ſucco crudo enu-

triendæ ſunt, & ſpiritibus vietis irradiandæ, proinque uterus cum glandulis, unde & eorumdem flacciditas.

Chylus hic, fluoris formâ in ita reſolutas uteri glandulas eò faciliùs decidit, quod ſanguini ſeu vappeſcenti ſeu cacochymico minùs cohæreat & confundatur.

Quia ſanguis è fluxilitatis nativæ ſtatu in viſciditatis ſtatum tranſiens, nimiam patitur principiorum conſtitutivorum cohærentiam & minorem proindè æquo fermentativorum concurſum, ſequitur minorem in ipſo, ſpirituum quantitatem elaborari, adeóque per nervos in uterum ceu reliquum corporis diſtribui, unde uteri relaxatio, ſequitur quoque chylum ſanguini ita laboranti minùs cohærendum eſſe, adeóque faciliùs lapſurum in patentem reſolutarum uteri glandularum meatum.

Fluxilior ſanguis, hîc intelligitur, quando mediâ fermentatione, naturali majori, plures extricantur è ſulphureis, carminatis & terreis diviſis, particulæ phlegmaticæ quàm pro tuendâ naturali fluiditate requiruntur. E ſanguine ejuſmodi ſpiritus non niſi phlegmatici parvique roboris cerebro ſuppeditantur & in partes ſubjectas adeoque uterum influunt qui exin relaxandus eſt, eoque magis quod nimio ſanguinis phlegmate cujus proprium eſt emollire, irrigetur. In hoc

caſu fluor ſalinis partibus onerari ſolet, unde glandulæ uteri continuò in excretionem ſollicitantur & urget fluxus.

Aſt verò, ad hoc ut uterus depluvium humorum ſic patiatur, debet cæteras partes imbecillitate ſeu mollitie ſuperare: nulla alioquin eſt potior ratio cur ſanguis laborans, humores in uterum exoneret potiùs quàm in renes aut alia emunctoria. Ideoque unde uterus ſanguinis labem, magis plectenda eſt quàm cæteræ partes, ut dicentibus Antiquis, ſit quaſi cloaca totius corporis muliebris? operæ pretium duxi in majorem prædictorum aſſertionem oſtendere: exin lux non modica prout robur illis addetur.

Fabricator hominum Deus, ſexum ſequiorem à maſculo inter cœtera diſtinctum voluit utero, per quem, ſexum ſequiorem concipiendo ac geſtando fœtui in primâ ſtatim creatione præfecit & adaptavit: in hunc verò finem, uterum priùs menſtruorum effluxui deſtinavit, fecitque in varias geſtationis vices, latè ac profundè extenſilem, & conſtruxit glandulas quibus interna illius facies contexitur, non modò præſtandæ menſtruationi, ſed quoque intra graviditatem tranſcolando humori albido, qui colliquamentū dicitur & fœtui in nutrimentum faceſcit. Aſt an uterus ejuſmodi incommodis, præ cæteris partibus ſubjici poteſt, quin meritò arguatur

cæterás quoque partes imbecillitate ſeu mollitie, nutu naturæ antecellere? ea enim pars imbecillior reputatur, adeòque humorum exonerationi comparatior, quæ ſæpiùs afficitur, cùm res ita ſit, ſiquidem uterus, cœteris partibus, eo quo dictum eſt modo, crebriùs afficiatur, adeòque verè magis debilitetur, & ſolemne ſit ſanguini promiſcuos humores in imbecilliorem deponere: nil mirùm ſi quaſi ſentina totius corporis, uterus cribrorum inſitorum beneficio, adeò obnoxius efficiatur excipiendis variis ſanguinis humoribus: quippe ea eſt fluidorum omnium indoles, ut ad eas partes decumbat humor redundans, quibus minor ſuppetit ad renitendum, vis, unde liberiùs in iis materiæ affluenti hoſpitium aut effluvium. Hoc ita evicto, cauſas allegati cujuſq; ſanguinis ſtatus, fluorem muliebrem producentis, hîc ex ordine ſubjungere fas eſt.

Sanguinem vappeſcere faciunt immodicæ omnes evacuationes, ac potiſſimùm cruentæ quibus multoties fluorem album ſupervenire, advertere licet, item febres lentæ, & alii morbi chronici, provectior ætas, undè Hippocrates 2. de morb. mulier. in initio ſcribit, fluorem hunc magis fieri in ſenioribus quàm in juvenibus.

Cruditate ſcatet ſanguis in chloroſi, atque ita omnia quæ cacochymiam in corpore pro-

ducere apta ſunt, fluoris muliebris cauſam eſſe valent. Vix unam reperire eſt cachecticam quæ fluore hoc non vexetur. Foreſtus lib. 28. obſ. 19. habet hiſtoriam cujuſdam quæ ultra decem annos cacochymiâ laborans, per undecim annos fluore muliebri detenta fuit, & ejuſdem libri obſ. 23. aliam mulieris quæ ad leucophlegmatiam inclinans, menſtruis albis ſupra modum detinebatur. Similia videntur in ſcriptis authorum; & in quotidianâ praxi. Sanguinem quoque enervem ac impurum facit vita otioſa & ſedentaria: defectu enim exercitii muſcularis, non ventilantur principia activa, nec diſcutiuntur ſucci pravi, quibus proin refertus manet ſanguis ſine vigore. *Quid* (dicit Jungken prax. med. cap. de fluor. mul.) *ex reliquis rebus, animi quies, ſive otium huc referat? Poſſunt teſtari agreſtes, ob continuum motum, minùs quàm urbanæ, huic malo obnoxiæ mulieres.* Item aer frigidus & humidus, qui quid conferre huc queat, juxta eundem Jungken, ibidem loci. *Teſtari poſſunt illæ quæ loca ſeptentrionalia & paludoſa inhabitantes, plus hoc malo corripiuntur quàm in calidioribus, ſiccioribus regionibus degentes.*

Sanguinem viſcidiorem efficit, accedens prout præſens hyemalis tempeſtas, & hinc eſt quod nonnulis veniente ac præſente hyeme fluor albus ſuperveniat, & ad ver uſque,

ſæpè indeſinenter perduret, quo redeunte & urgente, totâ æſtate ceſſare ſolet, quia depreſſus per hyemis inclementiam, ſanguinis vigor redeunte ac redivivo calido tempore exſuſcitatur: illæ verò femellæ ſunt ordinariò temperie phlegmaticâ aut pituitosâ donatæ, & plerumque ſimul ſuppreſſos habent menſes. Domicellam 28. annorum natam, & pituitoſæ conſtitutionis nunc curandā habeo cui menſes toto verno ac æſtivo tempore ritè fluunt cum integra valetudine, adveniente verò hyemali ſupprimuntur & ſuccedit fluor albus,pedum tumor,œdematoſus &articulorum pituitoſus infarctus, itaut membra hinc inde flectere ac plicare vix queat, redeunte autem calido tempore, redeunt menſes cum ceſſatione fluoris albi, & pedum ac articulorum ſummo levamine. Hæc Domicella eo affectu decem abhinc annis & ſupra redivivo illo per tempeſtates affectu laborat. Item ſuſceptum inter lavandum frigus prout cenſet D. Jungken dum cap. de fluore albo ita loquitur. *Propterea malè ſibi conſulunt illæ quæ in aquis multùm, lavandi causâ, verſantur: præter hoc enim quod levi de causâ ſic limpha earum craſſeſcat, & huic malo anſam addat frigus: corripi etiam non rarò ſimul ſolent menſium ſuppreſſione & denique cachexiâ.* Sanguinem pariter craſſiorem faciunt mœror, terror, ac vita curarum plena. Novi ipſe quam-

plurimas tum virgines, tum nuptas quæ vix in mœrorem conjiciebantur, cùm ocyùs fluor muliebris eas corriperet. Item crudorum & acidorum abuſus: unde dicente Sylvio Delboë cap. prop. *Non mirùm ſi forſan in Belgio quàm alibi frequentior quoque ſit fluor muliebris.*

Fluxiliorem ſanguinem reddunt abuſus aromatum & ſpirituoſorum, fermentatio ejuſdem debito major adveniens cùm inſtant menſtrua: item medicamenta catarctica intrò aſſumpta, undè ſcribit Platerus tom. 3. prax. lib. 2. cap. 7. ſe obſervaſſe mulieribus quæ nunquam hunc fluxum paſſæ fuerant, eum, poſtquam medicamenta catarctica aſſumpſiſſent, ſuperveniſſe. Novi ego Mercatricem temperamento bilioſam, quæ ad faciliorem aſſumptorum ſubactionem aquam vitæ non propinabat quin eodem die fluore albo vexaretur. In eodem temperamento prout ſanguineo thermalia balnea, eadem de re fluorem hunc provocare teſtatur idem Platerus, qui ibidem loci adnotat multas dum thermis aliquamdiu inſediſſent, hoc vitium contraxiſſe: quod non niſi in communicatam thermalium calore, ſanguini exagitationem refundi poteſt. Mihi noviſſe licet quaſdam, quæ ſanæ, jocandi causâ, Aquiſgranum profectæ, & balneis utentes, delectationem ſuam fructu fluoris albi ſolverunt. In

harum cauſarum ſeriem accedit iracundia, & accenſio animi, undè quædam notantur quæ ſtatim ab irâ initâ, de fluore uterino conqueruntur. Item calida tempeſtas, in temperie tenui ac calida donatis. Ita Riverius cent. 1. obſ. 46. habet exemplum Religioſæ, quæ propter hepatis & renum temperiem calidam (verba ſunt Authoris, facilis intelligentiæ Medicis circulationis:) Initio menſis Auguſti corripiebatur fluore albo admodùm copioſo & moleſto ad uſque ſequentem hyemem, quo tempore minuebatur, ſed vere revertente, affectus paulatim in deterius ibat, uſque ad æſtatis initium, quo tempore inappetentia, & febricula, ac tandem tuſſis accedens, metum futuræ tabis intulerunt.

Inculpato ſanguine, uterus adeòque implantatæ glandulæ emolliuntur & relaxantur à cauſis diſtrahentibus, ut caſu in ventrem, abortu in cerebro, partu difficili & laborioſo. Extenſus enim latè & profundè per geſtationem uterus, in enixu præcoci aut difficili, ita fatigatur & diſtrahitur, ut nonniſi diutino tempore & ægrè in priſtinum ſtatum reſtitui ſæpè poſſit cum inſitis glandulis, quæ proindè in præaſſumpto, per geſtationem, majori hiatu perſiſtentes, & nutritium fœtus colliquamentum tranſcolare conſuetæ, excluſo etiam diutiùs fœtu, eidem colliqua-

mento introitum & exitum liberum denegare nequeunt, & hinc eſt quod abortui aut partui difficili fluor albus mox ſupervenire ſæpènumerò obſervetur. Zacutus Luſitanus prax. hiſtor. cap. de flux. mulieb. cauſis meritò accenſet nimium concubitum quo uteri corpus nimis laxum evadit: fluori etiam portas aperiunt glandulæ ſi diſtentæ in menſtruationis opere, eodem finito, in priſtinam anguſtiam ſeſe ægrè recolligant & reſtituantur: hanc dubio procul ob cauſam, frequentiùs circa tempus menſium primâ vice inſtantium ſexum muliebrem hoc malo corripi Sylvius teſtatur, prout quoque D. Jungken cap. prop. *In ſpecie molliori corporis habitu gaudentes & laxiori ac fibris minùs robuſtis, ſed ob ſpirituum debilitatẽ carne laxiori & fibris minùs tenſis præditas, potiſſimùm huic malo eſſe obnoxias, & magis albidas quidem pluſquam alias.* Sed concurrit tenella ac mollis ſanguinis compages qui ob intrinſecum prædominans phlegma, facilè ſe reſolvi patitur menſtruâ fermentatione in fluxiliorem. Huic quoque fluoris cauſæ procliviores ſunt quæ hoc malo jam laborârunt, quod intelligitur ex Platero obſ. lib. 3. fol. 763. ſcribente. *Plerumq; eo tempore quo menſtrua ſanguinis purgatio deſinit, fluor uterinus muliebris in illis quæ huic malo obnoxiæ ſunt, ſuccedere ſolet.* Subſcrbit exemplũ mulieris mediæ ætatis,

quæ ſitibũda, pallida, & ſæpè priùs enixa hoc fluore diuturno & copioſo laboravit; partes enim ſemel debilitatæ etiamſi reſtitutæ, retinent ſemper in ſe prædiſpoſitionem quandam, cujus ratione in habitam olim labem reincidant.

Diximus ſupra humores ob obſtaculum propriarum glandularum ad uterinas ceu magis idoneas, quandoque in fluorem corrivari. In illius rei teſtimonium advocandus eſt Rolſincius qui conſult. 61. refert ſe noviſſe mulieres emunctæ naris, quibus deſtillationes mucoſæ per nares & ſalivales glandulas ſeroſæ, ſuppreſſæ ad uterinas copioſiùs tranſmiſſæ fuerunt, ut humor à glandulis naſalibus & ſalivalibus non admiſſus, uterinis tanquam fonticulo univerſali continuò excluderetur.

Nulla ætas niſi prima, nullus fœminarum ſtatus hoc uteri vitio immunis notatur, virgo, uxor, gravida, non gravida, lactans, ſterilis, fertilis, vidua ac ſeneſcens purgationi albæ ſubjicitur. Rarum eſt quod refert Roder. à Caſtro cap. prop. ſe vidiſſe puellam octo annorum natam, hoc morbo affectam. Tempus quo invadit primùm, ac durat, omninò incertum eſt ac indefinitum. *Evenit* (inquit Sylvius cap. affectus,) *incipitve idem fluor frequentiùs circa tempus inſtantium primùm fœminis menſtruorum, atque ad ætatem ſatis*

decrepitam in multis perſeverare ſolet. Adultiores tamen & maturæ ætatis, ac maritatas magis obnoxias eſſe quàm puellas ac virgines ultrò patet, ex eo quod, quò pluries uterus in menſtruationem ac geſtationem adductus eſt, eò magis infirmari debeat. Nonnullis tamen ingruit tantùm vitæ autumno & poſtquam generationi ineptæ evaſerunt: Cujus ferocini fluoris ſingulare ac memoratu dignũ exemplum notat Charleton cap. de rheum. uter. in vietâ obſtetrice, quæ ſeptimum ſupra ſexageſimum ætatis annum jam ingreſſa erat, cùm primùm de hoc malo conquerebatur, quo diu poſtea graviterque afflicta vixit. Profluit quibuſdam quotidie, aliis ſtatutis temporibus, aliis bis tervè in menſe, citra ordinem, inter duas purgationes, modò ante & ſæpiùs poſt menſium purgationem. Humor effluens in omnibus ac ſingulis non eſt ejuſdem ſemper naturæ, ſed modò albus, modò pallidus, lactis ſero ſimilis, modò flavus, modò lividus, modò ſubater, & quaſi ſanioſus, modò ad viriditatem vergens, modò viſcidus, modò tenuis, nunc cum, nunc ſine morſu. Quandoque eſt ita mordicans ut quaſcumque partes decidendo cõtigerit, erodat, aut etiam exulceret, unde mors ſubſequatur, cujuſmodi exemplum habet Graaffius cap. de menſtruis, in honeſtâ Matronâ cui fluoris acrimoniâ ſenſim ita adaucta eſt, ut præ nimio dolore

incedere aut quieſcere non valeret, & pudendi labra à Graaffio perluſtrata mirum in modum tumefacta & exulcerata comperta fuerint, fluoris acrimoniâ, nec injectionibus, nec fomentis aut aliis medelis temperari potuit, ſic ut tandem vitam miſerè finierit. Aperto cadavere, uterus undique aut exulceratus aut ſcirroſus deprehenſus eſt, vagina verò virulentâ illius humoris acrimoniâ & colluvie adeò putris evaſerat ut, levi ſpatulæ attactu ubique pertunderetur, patentique aditu cum inteſtino recto, aliisque vicinis partibus confunderetur. Fluor muliebris rariùs ſolet eſſe graveolens ac fœtidus, nec ſolet authore Etmullero, eſſe ferè talis, niſi ſimul exulceratio quædam conjuncta ſit, ex quâ purulentia fœtida tum ſimul excernitur.

Signa affectus quod concernit illa ſpontè ex ægrarum relatione enitent, interrogando & inſpiciendo ea ipſa quæ ex utero egrediuntur: fœmina enim facilè percipit humiditates ab utero depluere, locaq; muliebria inſolenter madere. Prodeuntium qualitas & ſubſtantia, fluoris ſpeciem cõmonſtrant. Cauſę etiam internoſci debent. Vaſa itaq; limphica uterũ perreptantia diſrupta dignoſcuntur, ſi fluor ſit aqueus ac pellucidus, ac præceſſerit violenta hepatis uterini ſecluſio aut inſtrumentũ aut unguium obſtetricis indebita intruſio: ſi quoque ſubſequatur corporis marceſcentia: diſpendio

diſpendio enim ſeroſi laticis, chylus in commune Pecqueti receptaculum veniens, & in viâ ad ſanguinis vaſa, eo deſtituitur, ita ut alendis partibus craſſior remaneat, deeſt etiam quo craſſamentum ſanguinis venoſi diluatur, qui conſequenter ad cor ſpiſſior redux & in arterias refluus deſtituitur quo, chylum pariter ſpiſſiorem parteſque ſolidas irroret humectetque, unde totius corporis ariditas & ſiccitas comitem ſe præbet. Quando humor in fluorem erumpens, acrior eſt; mordicatio ac ardor in muliebribus ſentitur, & dicēte Etmul. *Febris nocturna ſcilicet veſpertina, qualis catharralis, tales fœminas affligere ſolet, febricula quædam lenta imprimis veſpertino tempore acerbans ſolet ſimul concurrere.* Quando humor à propriis colis cohibitus, ad uterina corrivatur; elucet ex illius peculiaris per cola genuina ſecretione læsâ, parte affectâ & effluentis indole; aliarum cauſarū ſigna ex præmemoratis facilè habentur.

In diagnoſis complementum juvat particulares quaſdam aſſignare notiones, quibus ſuperflua mulierum purgatio à gonorrhæâ malignâ internoſcatur, quæ ſæpenumero ſub fluxus albi muliebris ſpecie vel exercitatiſſimos Medicos imponit ac fallit, volendo curare unum pro alio.

Omnes fermè Medici conveniunt proſtratas glandoſas in utroque ſexu, ſedem eſſe

gonorrheæ, & cadaverum eâdem infectarum diſſectio evidenter demonſtrat, à materiei ab inde exſtillantis qualitatibus nulla diſcriminis indicia, certa definiri poſſunt, ſed potiùs à ſimptomatis, infectarum querelis, & pudendorum (quando licet) dilatatorum inſpectione: omnium certiſſimum ſignum, eſt confeſſio mulieris infectæ, quam, pudore criminis ſuffuſa, utut meretrix publica, nunquam aut rarò factura eſt, ſed caſtam ſe, honeſtam & omni virili conſortio alienam obſtinatè profitebitur. Graaffius loco ſæpiùs dicto, ſigna diſtinctiva in hunc modum ſcitè præbet. *Utcumq; aliquis dijudicare poterit, ſi ad prolabentem materiam, ægrotantisq; querimonias diligenter attendat, materia namq; fluoris, alteram in gonorrheâ manantem, longè quantitate ſuperat, querelas ſi conſideret? Fluore fœdatas, lumbari cruciari dolore, alias verò gonorrheâ laborantes, de obortâ circa pudendas partes acerbitate lamentari audiet: ſin minùs contentus his eſſe velit, genitalia inſpiciat? ſiquidem meatus urinarii exitum circumſiſtentes partes (in quibus lacunarum exitus terminantur) mucoſâ quâdam materiæ obſeſſas, ac interdum exulceratas reperiet, reliquis vaginæ partibus decenter ſe habentibus, cujus contrarium in fluxu albo fieri aſſolet.* Charleton cap. de rheum. uteri, ſub finem, quædam adhuc adfert indicia diſtinctiva, quæ

prioribus juncta clariorem internotionem præſtitura ſunt, nimirùm quod prorumpentibus catamæniis gonorrhæa non deſinat, ſed cum his & mox aliis ſimiliter perſiſtat: uterinus verò fluor ceſſet in menſium eruptione, & aliquanto poſt tempore, quæ etiam hoc vitio polluuntur, non de lumbagine, prout fluore uterino laborantes, ſed de incendio & acerbitate quâdam, pudoris ſinum quaſi adu-rente, quæ inter meïendum exacerbatur, conqueruntur; quin etiam luis venereæ ſigna e interdum produnt.

Quod attinet prognoſim, fluor muliebris, ndecumque proveniat, fœdum eſt malum, uatenùs fœminas reddit ſibi ipſis graves & naritis exoſas: ex limphæ verò ductuum pertione, curatu difficillimus eſt, cùm ob oci correpti profunditatem, localibus reme-lis non ſit facilè eorum occluſionem ſuſcipe-, quare & periculoſiſſimus, ob inſequentem iarcorem corporis, prout ante dictum. Si uor annuat humoris alieni, ob impedimen-im propriorum colorum, effluxum ad ute-im, plus conducit ſanitati quàm officit; im hujuſmodi fluorem ſine noxâ mulieres què ac virgines, multis menſibus, imò etiam nis incolumes ferant; cùm è contrà ii hu-ores in corpore retenti ad alias nobiliores rtes ruere ſoleant, unde graviora mala exo-intur. Bonum eſt ſanguinem excrementitiis

partibus exonerari, quâ poteſt liberiùs extra corpus.

Fluor albus ſenes plerumque ad mortem comitatur, quia ſanguis in illis, priori annorum tractu plurimùm evaporatus, redivivum vigorem recipere nequit: in aliis autem ætatibus, ob rationem contrariam, ſanguinem ſcilicet à depreſſionis ſtatu relevari facilem & emendabilem, curationem admittit. Unde Hippocrates hoc malum dixit curabiliùs in juvenibus quàm ſenioribus. Fluor pendens à ſanguine cacochymico & impuro, eò diuturniùs eſt malum & medicatu difficiliùs, quo grandior eſt ætas & antiquior cacochymia quamdiu tamen ſanguis pravis ſuccis ſcatet; præſtat fluorem prodire quàm ſupprimi, cùm priùs ſanguinem à pravi ſucci ſuperpondio ſublevari ſalutiferum ſit, adeò ut ſi imperitia Medici conſtringatur, hic fluor antequam corrigatur prava redundantia & è ſanguine per viam revulſoriam amandetur & infirmo ſanguinis ſtatui proviſum ſit; metus ſit ne à refluxu materiæ in viſcera, gravius incommodum ſuboriatur. Sic Ballonius lib. 1. conſil. 59 refert fluorem muliebrem cōtinuum ſuppreſſum, mutatum fuiſſe in diabethem lethalem.

Fluor muliebris qui oritur à relaxatione glandularum uteri citra vitium ſanguinis, ſi diutiùs perſeveret, ad tabem ducit, qui ſuccus nutritius, partibus quibusque deſtinatū

illàc confluit & continenter abſcedit, ita demùm ut propter ſucci nutritii qui ad uterum affluens, continuò amandatur, diſpendia non modò partium vicinarum, ſed totius corporis languor & ſyntexis ſuccedant: tantùm enim ſucco nutritio partes ſolidæ corporis defraudantur, quantùm illius ex utero præter naturam deperditur. Novi mulierculam quæ poſt duorum liberorum enixum, hâc fluoris ſpecie tentata fuit, quâ cum per biennium propè laboraſſet, tabefacta, mortem tandem obiit. Ejuſmodi phtiſęos meminit Morton in ſuâ Phtiſiologiâ.

Eò moleſtior eſt quicumque fluor, ſi mordax ſit: tunc enim pruritus, mordicatio & ardor in parte proximâ externæ & in pterigiis fœmellas divexat. Eò adhuc deterior, quò fluor eſt mordacior, cùm præ acrimonia loca per quę trajicitur, exulcerari poſſint, unde mors interdũ oritur, prout exemplo enitet à Graaffio relato & ante allegato. Si muliebri profluvio convulſio aut animi deliquium ſuperveniat, malum, ob nimiam inanitionem, Hyppoc. 5. aph. 96.

Curatio pro variâ fluoris origine & cauſâ diverſimodè peragi debet: nam varium indicans, variam agendi demonſtrationem præbet. Probavimus autem fluorem muliebrem annuere modò reſerationem limphicorum uteri vaſculorum, modò humorum per ſua

colatoria ſecerni præpeditorum ad uterum corrivationem, modò relaxationem glandularum uteri, eamque competere, modò vario ſanguinis vitio, modò meris cauſis extrinſecis. Quare ad hujus affectus curationem totus ſcopus in eo verſatur ut aperta vaſa limphica occludantur, impedimenta quorum ratione, humores per cola ſpecifica à ſecretione arceutur & ad uterum refluunt, tollantur; laxior uteri & proin glandularum inſitarum (fluoris excipulum) contextus firmetur & roboretur.

Quo autem limphigeri ductus uteri, recluſi coadunentur, & contento fluido exitum denegent; latera eorumdem diviſa debent ad invicem approximari & in ſeſe collabi. In hos fines requiritur ut vaſa limphica minorem limphæ copiam in ſe comprehendant, quod fiet ſi illa in ſanguine minuatur: tanto enim minùs limphici laticis advehi debet intra proprios cavaliculos, quanto minor illius copia proſtat ſanguini promiſcua, & ideò quicquid ſerum ſanguinis minuendo aptum, uſus docuit: id omne huic fluoris ſpeciei curandę opitulatur. Id autē obtineri valet modis mediiſque variis per hydragoga purgantia, diuterica & ſudorifera: interim initium curationis peragi debet purgatione quâ nedum partim ſerum ſanguinis per alvum divertetur, ſed quoque ſuccedentibus medicamentis,

liber ad vaſa ſanguinis tranſmeatus præſtabitur, aſt in corporibus plethoricis ſanguis per venam mitti debet revulſivam, ut avocato ab utero ſanguine, minor limphæ copia in limphæ ductus uteri exoneretur, purgatio ex fortioribus inſtitui debet, ut eò validiùs vaſa limphica uteri ſero ad inteſtina devoluto inaniantur. Purgantibus nubendum eſt rheum ac mechoacanna, ob aſtrictionem quam poſt ſe relinquunt. Celebratâ purgatione & miſſione ſanguinis ubi datur plenitudo, ad alia media ſerum ſufflaminantia confugiendum, ceu diuretica & ſudorifera: Sed poſteriora prioribus anteferri merentur, quia ſerum ſanguinis per diaphnoen diſcutiendo ſanguinem versùs partem læſam, prout diuterica non determinant. Hanc viam indicat Sylvius Delboë tract. de hydrope in ejus curâ à diſruptis limphæ ductibus, dicendo: *Per ſudorifica tollitur ac removetur inde liquor, quatenus tunc omnes corporis pori reſerantur, & humores, vaporis formâ, quaquaverſum propulſi, ſimul foras expelluntur, ſicq; ex illo præternaturali loco removentur.* Sudorifera competentia, ſunt decocta lignorum quæ recenſentur, guaſacum cum cortice, lentiſcinum, juniperinum, buxus, ſaſſafras, tria ſantala, & rad. Chinæ ac ſalſæparillæ. Guajacum cum cortice, ac buxus, in bilioſis locum non habet, ob majorem ſalium acrium quâ donantur

luxuriem. His decoctis probè admiſcentur traumatica, ut rad. conſolidæ cum toto, tormentill. biſtor. caryophillat. pimpinell. alth. acori, fol. bugul. ſanic. alchimil. vincæ pervincæ, agrim. capill. vener. veron. piloſel. herniar. flor. hipper. virgæ aur. &c. Quibus apertorum limphigerorum coalitus non parum promovendus eſt. Proficuum eſt etiam hoc ſudoriferum.

Rec. Diaphor. recent. cinnabar. nat. ſperm. ceti, ana. ſcr. 1. rob. ſambuc. dr. 3. m. f. bolus inſumendus per aliquot dies, 2. horis antequam è lecto ſurgat ægra exſpectando ſudorem.

Inter ſudoriferorũ uſum ſuffumigia in uterum, exſiccantia, conſtringentia, & conſolidantia maximæ fient efficaciæ, de quibus infra. Sudorum moderatio tenenda eſt, ne humido nimis ſanguis exhauriatur. Victus deſideratur exſiccans, ac ſumma quies, ſine quâ partes ſolutæ coalere nequeunt.

Impedimentum quo humor per propria cola effluere arcetur & ad uterum refluit, venæ ſectione, ubi opus, purgantibus, deobſtruentibus, & aliis remediis congruis tolli debet, quod ſi illud ſit majus quàm ut humor ſuorum colorum ſecretioni reddi queat, ſentina aliò quærenda eſt per fonticulum aut ſetonem, quod auxilii genus valdè prodeſt, quia per facta emiſſaria is humor ab utero aver-

runcatur, & ad novam viam cogitur. Exteriùs glandularum fluorē illum faciliùs ſuſcipientium tonus debilis erigi debet.

Quàndo uteri adeòque inſitarum glandularum relaxatio competit vitio ſanguinis; cura variatur pro vario ſanguinis vitio, in eoque ſita eſt, ut ſanguis enervis & vietus vigoretur, ac principiis activoſis refocilletur, cacochymicus à ſuccorum pravorum onere vindicetur, & vindicatus, in debitum vigorem reducatur, viſcidior attenuetur, & fluxilior inſpiſſetur, ac acrior temperetur.

Sanguis enervis & partibus activoſis indigens reſtituetur in ſtatum vegetum, alimentis boni ſucci & facilis fermentationis ſale volatili abûndantibus, vino ac cereviſiâ rectè depuratis, ac generoſis, iis demùm quæ reſtituendo bonam alimentorum digeſtionem in ſtomacho comparata ſunt, qualia medicamenta ſtomachica ſpirituoſa: fermentum enim gaſtricum, quia cruoris labem plectit, adeòque debilius eſt; in ſuâ actione erigendum eſt.

Si ſerum in ſanguine ſuperabundans in causâ fuerit, illud per vias ab utero parte affectâ revulſorias exterminandum, ita ſublevando ſanguinem ab onere aqueo, præbentur utero induciæ recolligendo nativo robori. Viæ revulſoriæ utiliores ſe offerunt, per alvum, urinas, & ſudores. Inter alvum

moventia veniunt hydragoga, & quidem fortia ut aquea eluvio ab utero potenter divertatur. Inter hæc radix jalappæ à Riverio cap. prop. tanquam præſtantiſſima deſignatur, cui non nihil cinnamomi in corroborationem adjicit, valet etiam itaque ejus reſina mercurio dulci juncta, ac ſyrupus de rhamno catarctico ad unc. 1. ſ. vel 2. inter edendum ſumptus, cujus effectus ſunt mirabiles, ſi viſcidam ſaburram in primis viis hoſpitari harioletur; hidragogis phlegmagoga admiſcenda ſunt. Exemplum habe ex Timæo?

Rec. Pul. jalapp. ſcr. 1. magiſt. agar. ſcr. ſ. gum. de goa, gr. 4. ol. ſtillat fœnicul. gutt. 2. m. f. pul. ex vino hauriendus.

Curatio à purgatione auſpicanda eſt, ut ſuccedentibus medelis omnis remora tollatur, & ſingulis quidem 7. vel 8. diebus, habitâ virium ratione inſtituetur, ut ſtomachus ab impuritatibus de novo ſeſe accumulantibus mundus uſque conſervetur, & ipſo tempore ſanguis prædiminio ſeroſo levabitur: quamdiu namque ſanguis aquoſo onere in totum non eſt liberatus, tamdiu & fermentum gaſtricum, digeſtionis rectæ negotio ineptum ſuppeditatur. Unde reduces in ventriculo impuritates, cauſa continuò morbum fovens, adeóque morbi prolongatio. Intermedio purgationum tempore, diuterica & ſudorifera ſuum uſum exigunt, inter quæ

aptius docet experientia decoctum lignorum, cujus hauſtulum calentem ſumet ægra ſummo mane, horâ unâ atque alterâ antequam lecto exeat, & ſudorem expectet. Qui ſi poſt horulam non prodeat; aſſumpto novo hauſtu, illum promoveat: longè tamen optatiùs decoctum operatur, ſi cuique illius doſi injiciantur guttulæ 15. aut 20. ſp. ſal. armon. vel miſceatur pulvis oniſcorum ad ſcr. 1. vel drag. ſ. ob. ſal volatile quo turgent, ad ciendum ſudorem ac urinam, etiam peridoneus.

Dum hæc ita geruntur, pervidendum ne nova ſeri colluvies reproducatur: hunc novum ſcopum aſſequitur Medicus decēti vitæ regimine, & nonnullis ſtomachicis ac ſanguini robur addētibus præſcriptis. Propterea Timæus loco citato uſurpat ſumptam horis matutinis roſam angelicã, veſpertinis aquam ligni ſaſſafras cum cinnamomo deſtillatam; interdum tincturam croci martis, eſſentiam ſuam antihypocondriacam elixirium proprietatis ſub auroram in vehiculo convenienti. Opiata ſubjacens æſtimanda eſt, quia uterum laxiorem roborat, ſanguinique robur adjicit.

Rec. Conſ. roſ. rub. unc. 2. abſynth. pont. unc. 1. ſpec. diatrium ſantal. aromat. roſat. ana. drag. 1. corall. rubr. ppt. drag. ſ. theriac. veter. cum ſyr. è roſ. ſicc. f. opiata, de quâ

ſumatur ad magnitudinem avellanæ ſingulis diebus horâ ſomni eundo cubitum. Simeon Jacob retro obſ. Riverii refert in muliere quadragenariâ fluxu muliebri ſeroſo à multis menſibus laborante, eductâ priùs per octiduanam reſinæ jalappæ ad gr. 8. aſſumptionem, ſeroſâ illuvie à quâ pendebat affectus, recidivæ occaſionem illâ opiatâ ſe ſuſtuliſſe.

Hanc opiatam felici cum ſucceſſu exhibitam vidi ab experientiſſimo Collegâ, & dein expertus fui in pluribus.

Rec. Conſ. roſ. rubr. menth. criſp. ana. unc. 1. nucis moſchat. cort. citri condit. ana. unc. ſ. conſ. hyacint. incompl. diaſcord. Fracaſt. ana. dr. 2. ſ. corall. rubr. pul. conchar. calcinat. ana. dr. 1. extr. agrim. junip. ana. dr. 3. ſyr. è ſucco menth. q. ſ. f. conditum, duabus ante paſtum horis, bis in die ſumendum, propinando ſuper hauſtum vini rubri gallici, quo vehiculo conditi virtus adaugetur. Prodeſt etiam vitellum ovi in vino auſtero dilutum, & aliquamdiu mane propinatum, addito parum cinnamomi & maceris vel nuciſtæ. Si ſerum in ſanguine redundans ſalinum ſit, cura inferiùs videatur.

Quando fluor uterinus pendet à cacochymiâ viſcidâ, humor lentus ac minùs mobilis in ſanguine luxurians, ſui pariter evacuationem indicat per vias revellentes, ſed priùs fluidum effici poſtulat: *Si namq;* (inquit

Walſmiedt inſtitut. medic. lib. 5. cap. 6.) *ſaluberrimum Hippocratis monitum*, ſcilicet concocta, non cruda, movenda, *ſuſq; deq; habuerimus & illotis quod dicitur manibus ipſis utamur purgantibus; nunquam ex voto operabuntur cum loco humorum vitioſorum, boni, quia illis fluidiores ſunt, è ſanguine deturbantur: vitioſi enim ob cruditatem & meatuum in arteriarum extremitatibus reliquisq; canaliculis, obſtructionem, vim medicamenti eludunt, ſicq; à ſcopo aberrabimus cùm illud non expurgetur, quod expurgari debebat. Itaq; ne ſcopis diſſolutis rem agamus, aut in aëre piſcemur? omnis eò intendenda erit cura ut concocta non cruda moveantur, eaq; evacuentur quæ evacuari debent*. Fluiditatem humori lento parumque mobili reſtituunt attenuantia & incidentia, quæ eo prorsùs modo ac cap. de ſuppreſſione menſium ab hâc causâ pendente dictum eſt, uſurpanda ſunt, habitâ tamen hâc diſcriminis circumſtantiâ, quod ſub finem incidentibus intermiſcenda ſint quædam aſtringentia quibus, mollis glandularum uteri contextus firmabitur, proinque ſuſcipiendo tam facilè poſthac fluori ineptiores evadent: partis enim tranſmittentis reſpectus habendus eſt, ut curatio optata ſuccedat.

Præter hæc, præparatâ partim materiæ peccantis viſciditate, imò quoque in aquosâ

cacochymiâ perutiles ſunt aquæ thermales, congruo tempore epotæ: nam redundantem vitioſum humorem evacuant, & ab utero avocant: unde ſanguis ab humorũ vitioſorũ pondere liberatus erigitur, & univerſum corpus proinque debilior uterus roboratur, & admittendæ humorum eluviei, ineptior præſtatur. Septalius capite affectus à citatis cauſis exorti præſentaneum aſſerit remedium aquas thermales. *Quia per vias ſeceſſus, humiditates deducunt, & per hanc viam, naturam aſſueſcunt eoſdem tranſmittere.* Extrinſecus circa uteri regionem; & illius orificium, varia adhibentur, quæ ſiccando humiditates laxitatem uteri foventes & adſtrictione aliquâ prędità, glandulas uterum intus ambientes, per quas hic fluxus fertur, nonnihil conſtringunt, uterumque corroborant, qualia ſunt balnea thermalia. Nam *aquarum thermarum* (ait Platerus cap. morbi) *ad plures dies vel ſeptimanas continuatus uſus; prægreſſâ corporis evacuatione, & per vices repetitus, adhibito decenti regimine, tum exſiccando, tum ſudores promovendo, plurimùm juvat, eoq́ nomine mulieres quæ hunc fluxum patiuntur, maximèq́ ſteriles ſimul ſunt, eas adire, illisq́ uti ſolent, conveniuntq́ quæcumque vi ſiccante præditæ ſunt, aluminoſæ, nitroſæ, ſalſæ, vel ſuâ naturâ aut calidæ, aut arte calefactæ, necnon ſulphureæ.*

Juxta eundem Platerum artificilia balnea quibus immergere inferiorem corporis regionem, ad umbilicum uſque debent, idem præſtabunt, vel diu continuata, vel per intervalla uſurpata, paranturque interdùm ut thermis correſpondeant, ex ſale, alumine, ſulphure decoctis in aquâ pluviali cyſternæ, aliâve, eâ quantitate ut ſalſitudinem aliquam, vel ſulphuris odorem aqua contrahat; addendo, ubi efficaciora cupiuntur chalcantum vel chalcitim, aut ſcoriam ferri, cujus loco aquâ extinctionis ferri uti poſſimus. Gypſum uſtum, ſi cæteris permiſceatur, vim ſiccandi augebit.

Ex plantis ſtipticis & aromaticis balnea parata ſimiliter competēt ſi fiant ex aquâ extinctionis ferri. Cliſteres uterini, quia ad internum uteri pertingunt; in maritatis non nihili ſunt etiam faciendi ex detergentibus & adſtrictivis concinnati, quibus uterus totus à præternaturali mollitiei ſtatu receſſurus eſt. Eſto exemplum ad mentem Etmulleri.

Rec. Rad. ligni ſancti unc. 3. cort. granat. unc. 1. alumin. thuris ana. unc. ſ. maſtich. dr. 2. ſtor. balauſt. roſar. rub. ana. m. ſ. coq. levi igne in aq. com. vel chalybeatâ ad med. addēdo ſub finem vini rubri auſteri lb. 1. Colatura ſervetur ad varias in uterum injectiones

Vini auſteri & in candens ferrum ſpongiâ

inſperſi, aſſurgentes vapores prout ſuffitus ſalviæ per infundibulum exceptus (ſalvia enim habet quid roborans & conſtringens.) Item ſuffitus ex thure & maſtiche, aut ex gummi juniperi, nuce moſchatâ, & ſuccino egregiè conferunt. Externorum uſus ſuſcipi non debet, niſi expurgato notabiliter ſanguine, tumque ceſſatis incidentibus, in curationis complementum decoctum ſudoriferum lignorum competit, quo id quod reliquum eſt viſcidæ pituitæ in vaſis, prioribus fluidioris factæ, abſumatur per cutis porulos, vel ducendum per renes pilulis therebenthinæ Cratonis, exhibendo illarum drag. ſ. vel ſcr. 2. per plures dies ſub ingreſſum lecti, vel ſequentibus.

Rec. Therebint. cum aq. menth. lotæ & coctæ drag. 2. ſuccin. ppti. drag. 1. flor. ſal. armoniac. corallati, ſcr. 1. m. f. pilulæ quæ ſumantur aliquoties in ſeptimanâ. Vel hunc bolum à Fonſecâ lib. 1. conſil. 21. commendatum præcipias.

R. Therebint. unc. ſ. pul. corall. rub. boli armen. drag. ſ. m. ſumat jejunè bis in ſeptimanâ.

Si his vel ejuſmodi necdum cedat fluor uteri, proderit uti internè aſtringentibus, non neglecto externorum uſu. Quare competit hic pulvis quo Timæus in curationis ſolutionem uſus eſt.

Rec.

Rec. Oſteocoll. drag. 2. carneol. ppti. dr. 1. ſ. corall. rubr. margarit. terr. ſigillat. maſtich. gum. arab. rad. tormentill. ana. ſcr. 1. taleoli porci ppti. dr. 2. m. f. pul. cujus dr. 1. ex vino rubro aſtringente repetitim exhibeatur horis medicis.

Pulvis hic Dolæi non ſemel mihi fuit fidelis.

Rec. Cinnab. antim. magiſt. ſaturni, pul. ſuccin. antimon. martis cachectici, oſſis ſæpiæ, ana. ſcr. 1. laudan. opiat. gr. 2. m. f. pul. à ſcr. 1. ad dr. ſ.

Opiatum diaſcordium Fracaſtoris ad drag. 1. ſ. aut 2. veſperi aliquoties exhibitum, ut & drag. 1. confect. de hyacinth. cum opii depur. granulo, rarò fallunt.

Si hæc fluoris ſpecies ob aſcititiam, ex grandiori ætate, vel innatâ aut veteri ſanguinis cacochymia ita pertinax ſit ut aſſignatis præſidiis victas manus præbere recuſet; cauterium cruris dextri parti interiori ad derivationem fluoris ab utero, affigatur: quod Zecchius in hoc caſu ſummoperè commendat, ut & Riverius dum cap. morbi ſcribit: Cauterium in diuturnis affectibus convenire experientiam docuiſſe, quod per hæc emiſſaria, inutilis materiæ portio educatur. Hildanus plurimo in loco obſervationum ad deductionem humorum à parte affectâ nullum cauterio potentius & effica-

cius remedium ſe expertum teſtatur.

Ad hoc autem ut medicæ intentioni magis faveatur, dieta cum medicamentis conſpiret opus eſt; & hæc habetur capite 2. de ſuppreſſione menſium à cacochymiâ natâ.

Quando fluor muliebris accidit ob conſtrictum mœrore, terrore, aut abuſu acidorum, ſanguinis contextum; ſanguis reſerabitur aromaticis volatilibus, necnon chalybeatis; quod ſi incraſſationi fœderata comperiatur plenitudo, ante omnia ſecanda eſt vena, & inde libertas agendi incidentibus inſpirabitur.

Diximus in quibuſdam ſanguinem inſtantibus menſtruis, iis etiam effluxis fluidiorem evadere unde catharrus uteri naſcatur, idque quando mediâ menſtruali fermentatione plus partium aquearum explicatur in ſanguine quàm tuendæ naturali fluxilitati competit. Itaque ubi fluor uteri aliquot ante menſium eruptionem diebus ſe prodit, neu Medicus ullatenùs cogitet eum cohibere, qui ſuo genio relinquendus eſt, cùm magnam noxam inferre non valeat, quatenùs menſibus erumpentibus ceſſare ſolent, præſtet etiam minus permittere malum, quàm majus incurrere, ſuppreſſionem nempè menſium quæ certò ſubſequenda ſi menſtrualis turgeſcentia, fluiditatis vitioſæ

ſoboles, medicis medelis compeſcatur. Poſterior verò ejuſmodi fluoris recurſus prævenjendus injunĉto ægræ debito vitæ reginine & abſtinentiâ ab omnibus aromaticis & ſpirituoſis, vigiliis immodicis, gravi inimi paſſione, ut irâ, præſertim circa intantiam catamœniorum, inſtituta etiam eptem vel octo diebus ante eadem fluxua, miti purgatione, ut ſanguis ab extraneis, quæ collecto in vaſis purgamini uteino fœderatæ in menſtruam ebullitionem equo majorem conſpirabant, particulis reurgetur. Eam purgationem proſperè intituere ſoleo pilulis tartareis deſcriptionis croderi, vel decocto ſennæ Geronis.

Fluor muliebris effluxis floribus rubris iperveniens, ex relictâ ſanguinis nimiâ diiſione, eodem pacto curandus venit ac ſi imia diviſio argueret calidam tempeſtaem, vel aliam exagitantem cauſam exrinſecam aut intrinſecam: in hunc autem iodum cura præſtanda eſt, indicatur, ut rum copioſiùs evolutum & acredinis articeps, è ſinu ſanguinis deturbetur: ein quod ſupereſt fluiditati naturali ſuſtindæ neceſſarium, temperetur & demulatur, debitusque conſiſtentiæ modus rendatur. Priori ſcopo ſatisfaciunt purntia hydragoga ſed temperata & cholagis mixta. Hoc de nomine, quia ſerum

acre, ſuperfluè evolutum evacuando, ejuſ
dem profluvium ab utero divertunt: inte
rim catarſis reiterari per intervalla debet
ſed in proceſſu purgationum, iis quæ ſimu
purgant & adſtringunt ut rheo cum ſenn
& tamarindis infuſo, quibus etiam non
nihil addi poteſt trium ſantalorum ſcœnan
thi, macis, cinnamomi, &c. id rectè mo
nente Rondeletio, Cap. affectus, ab ha
parte enati, his verbis. *In principio mini*
aſtringentibus utendum ut corpus exacti
purgetur: in proceſſu purgationis, quæ pur
gant & aſtringunt, magis conveniunt, qui
deducunt minus ad partem affectam, & par
tem magis corroborant. Prima itaque & a
tera purgatio inſtituetur pulvere diajalapp
Mynſichti, qui talis eſt. Rec. Pul. rad. j
lapp. reſinoſ. unc. 2. ſ. acidi tartari ſcr. 1
ol. cinnam. ſcr. 1. m. f. pulvis ſubtilis, cuj
doſis à drag. ſ. & ad dr. 1. in robuſtis. V
pulvere tartariſato Haffnienſium, qui ſ
ſe habet. Rec. Rad. jalapp. pul. drag. 1
criſtalli tartari, tart. vitriol. ana. drag. 3. re
jalapp. ſcammon. ana. drag. 1. ol. aniſi, ſcr.
m. f. pul. doſis à ſcr. 1. ad 2.

Succedentes purgationes fient mitiorib
quia laborans fortioribus continuatis n
mium fatigaretur. Quantum illiuſmodi pu
gationes in hoc caſu præſtent? Intellig
re eſt ex Riverio qui cent. 3. obſ. 81. refe

mulierem quadragenariam, diuturno fluxu albo laborantem poſt multa remedia fruſtra tentata, ptiſanâ laxante, per menſem integrum, ſingulis diebus uſurpatâ protinùs liberatam fuiſſe: ex ptiſanam ingredientium indole, indigitatur dilucidè illam mulierem hocce fluore fœdatam fuiſſe, hæc eſt deſcriptio.

Rec. Senn. mund. drag. 1. ſem. coriandri, liquirit. raſ. ana. dr. 1. ſ. aq. fontis, in quâ tamarindor. dr. 3. & ligni lentiſc. drag. 1. bullierint, cyathum unum: infundantur frigidè per noctem, & colatura capiatur manè duabus horis ante paſtum.

Ubi fervor ſanguinis notabilis eſt, vena ſecabitur pridie purgationis & in earum intercapedine confugiendum ad ea quæ refrigerant, incraſſant & unà conſtringunt: has omnes indicationes adimplet tinctura roſarum in ſero lactis parata vel ſequens julapiũ.

Rec. Fol. cichor. cum radic. endiviæ, borag. lactuc. portul. ana. m. ſ. jujubar. & ſebeſten. recent. ana. nro. 7. ſem. 4. frigid major. alth. papav. albi, ana. dr. ſ. roſar. rubr. p. 1. coq. ad lb. 1. in colat. diſſol. ſyr. cydon. vel de roſis ſicc. unc. 3. f. julapium pro 3. doſis, bis in die exhibeatur una.

Valet & mixtura quam Hoſærus Hercul. Medic. lib. 7. cap. 1. commendat. Rec. Camphor. ſcr. ſ ſcobis eboris pul. ſcr. 2. aq. roſar.

nimpheæ, ana. unc. 1. ſ. m. f. mixtura pro doſi ſæpius repetenda. Valet & decoctum Pineæ cum ligno viſci quercini in potu adminiſtratum quod Panarolus pentecoſt. 1. obſ. 48 extollit. Valet etiam albumen ovi, in aquâ roſarum conquaſſatum, & repetitis vicibus propinatum, quo Amatus Luſit. cent. 4 obſ. 12. fluorem album curaſſe ſe aſſerit. Prodeſt & hoc decoctum ab Etmullero tanquam efficax & expertum notatum. Rec. Rad. liquirit. raſ. dr. 6. ſem. mirtill. coriandr ppt. plantag. viticis, ana. drag. 1. papav. alb. ſcr. 2. hyoſciam. ſcr. ſ. hordei mund. m. 1 acaciæ ſumach. ana. ſcr. 1. contuſa coquantur in aquâ chalybeatâ pro lb. 1. ſ. addendo poſtmodùm cuique doſi troch. alkekeng ſcr. 1.

Alia eſt adhuc methodus curandi hanc fluoris uterini ſpeciem, præmiſſis nimirùm præmittendis ſuperſtes luxurians in ſanguine humor ſalſus ab utero ad urinæ vel tranſpirationis vias avocandus eſt, ad renes exhibendo ſcr. 1. rhabarb. cum terebinth. venet. drag. 1. in bolum redactum, quo Riverius cent. 1. obſ. 47. ad dies 12. exhibito, manè, Religioſam ex tempeſtate calidâ fluorem hanc paſſam ſanavit. Vel exhibendo pilulas therebinthinatas Mynſichti in hunc modum correctas.

Rec. Terebint. cypr. in ſucco limonum

lotæ unc. 1. ſ. extr. thei drag. 3. ſuccin. alb. ocul. cancr. ana. dr. 1. tart. vitriol. drag. 2. oſſis meſpilor. dr. 1. ſ. m. f. pilul. cicerales. Doſis à drag. ſ. ad 1. in aurora per plures dies.

Nonnunquam acrimonia humoris tum ferox eſt ut partes quas tranſit, valdè irritentur cum ardoris ſenſu, & quaſi exulcerentur, & in hoc caſu haud auſpicanda eſt cura à purgantibus, quia ſalia corroſiva ſeu majoris molis, illis non facilè auſcultant, ſed potiùs ſero diluenti in magis inde deſtituta efferantur. Satiùs ergo curam aggredi diluentibus & humectantibus quibus ſalia craſſiora in minima ſolventur, & pororum revulſivè ſecludentium conformationi aptiora evadent. Diluens ac humectans erit ſerum lactis chalybeatum, quod, Riverio authore prax. cap. prop. per 40. dies ad unc. 4. & 5. exhibitum, annuente etiam experientiâ maximopere confert. Singulis autem octo vel decem diebus intercalabitur purgatio ex fol. ſenn. rhabarb. & tamarind. in ſero lactis infuſione. Vel ex elect. diapruni ſolutivi, unc. 1. in decocto Geronis ſolutâ, ut ſuperflua ſalia priùs diluta eliminentur: circa verò finē uſus lactis chalybeati, utiliter illius doſi addetur in corroborationem uteri & glandularū, tantillum boli armeni, vel terræ ſigillatæ, vel troch. alkekengi, vel Gordonii

aquæ minerales prout omnes acidulæ debitâ tempeſtate ebibitæ, quoquo alio medicamine ſunt præſtantiores, nam illarum potatione, ſalia craſſiora ſolvuntur in plura minima, & ſoluta per renes educuntur, attemperant quoque calidam ſanguinis intemperiem. Quare Walſmiedt in ſuis monitis teſtatur aquas minerales multis fluore albo laborantibus fuiſſe proficuas. Lac purum quoque eo pari modo quo in phtiſicis ſumptum in nonnullis prodeſt, maximè ſi macilentæ ſint.

Victus ratio Medicis auxiliis conformetur opus eſt, cùm nullum efficax poſſit eſſe remedium cui victus ratio contraria reſiſtit: Aer itaque ad frigidum declinans inhabitetur: cibus & potus incraſſandi & refrigerandi vi ſit præditus, conveniunt ergo hordeata, amigdalata, avenata, juſcula ex carne bubulca, gallinacea, vitulina, vel ex extremitatibus animalium parata, quæ eo majoris fructus futura ſunt ſi plantagine & cichoracecis alterentur. Exulet ovina caro, quæ nimio ſale naturaliter conditur. Carnes ſint etiam elixæ potiùs quàm aſſæ.

Vino quocumque ægra abſtineat, niſi valdè limphatum ſit? nec concedendum niſi aſſuetis; ejus loco aquam ac cremorem hordei vel aliam in quâ cydonia cùm pauxillo cinnamomi incocta ſint, vel cerevifiam

tenuem ac ſatis novellam, ſed bene fermentatam propinet: vitetur ira ac venus in cujus œſtro færociunt humores & uterus debilitatur: ſomnus ſit longior potiùs quàm brevior, qui ſi deficiat, alliciendus avenaceo in quo capitis papaveris albi dragmæ tres quatuorve incoctæ ſint, vel emulſione ex ſeminibus 4. frigidis cum ſyrupo papaveris albi: nam diviſæ nimiùm ramoſæ ſanguinis partes, in ſomno ſeſe recolligunt, adeòque ferocentia ſalia involvunt; & in inactionem cogunt, omnis quoque evacuatio per eum retinetur.

Poſtremò quando glandulæ uteri in menſtruatione diſtentæ, poſt eam, in priſtinam anguſtiam non facilè reſtituuntur, ſicque portas aperiunt fluori; ſiquidem id pendeat à minùs firmâ uteri contexturâ, molliorem ſanguinem redolente: indicantur ea quæ ſanguinis mollitiem emendant, qualia ſunt volatilia aromatica in ſinu nonnihil ſtiptici geſtantia, internis externa roborantia adjungi debent in citiorem curam, quæ inter alia apprimè implebitur pulvere ac balneo ſequentibus, quibus uſurpatis, præmiſsâ purgatione, Platerus obſ. lib. 3. fol. 763. fœminam poſt lapſum menſtruorum, fluore uterino vexari ſolitam ſanavit.

Rec. Pul. aromat. roſat dr. 1. raſ. CC. ebor. galang. ciper. ana. ſcr. 1. cort. citri ſicci,

diamarg. calid. ana. dr. ſ. cineris ſpongiæ uſtæ & aquâ roſarum lotæ ſcr. ſ. ſacchari unc. 1. m. f. pul. capiat cochlear manè ante ingreſſum balnei, quod ita eſt.

Rec. Rad. biſtort. lappat. ana. lb. 1. gallar. malicor. ana. m. 2. fl. camomill. melilot. (horũ loco ſatiùs eſt) fol. ſalviæ, abſinth. flor. roſar. rub. ana. m. 1. alumin. unc. 2. tart. crud. p. 1. m. f. decoctum pro inſeſſione in balneo, & utatur in dies horâ unâ.

Pro roborando ſanguinis mollioris contextu & cõſequenter utero ejus naturam perſentiſcente ſublime eſt quoque præſidium pul. diaronis, diarrhodon. diatrium ſantalorũ, diambræ, diamoſchi, diaſuccini Mynſichti ſine opio. Doſis dragma una cum vino rubello. Sudorifera ex radice chinæ & ſalſæparillæ, &c. parata, prout & nonnulla alia ex antimonio diaph. cinnabari nativo & ſuccino parata. Vel theriac. andr. drag. 1. & ſuccini flavi, pul. gr. 25. ſimul mixta, multum etiam profunt: nam talis auxilii ope, provocato ſudore, excrementitia ſanguinis humiditas uteri mollitiem fovens abſumitur & ad ambitum corporis avocatur. Sex non naturalia medicamentis accommodentur. Victus itaque ſit magis exſiccans quàm humectans, vita vivatur exercitata, ſomnus brevior ſit quàm longior, aër ſerenus & ad calidum inclinans inhabitetur. Fœminas pro-

fluvio albo magis ſubjectas eſſe per tempeſtatem frigidam quàm per calidam, pertinenter conſtat, quoniam enim ob mollitiem corporis, viris magis à frigore leduntur, veſtimenta etiam corpori minimè adhærent, facilè frigus recipiunt, præcipuè circa genitalia & imum ventris, hinc uterus cum glandulis præter modum læditur catharro, in cujus præſervationem accedente bruimâ ſexus ſequior muliebria loca munire debet braccis ſuo generi idoneis, quibus etiam prævenietur adveniens indidem ſæpiùs difficultas ac ſuppreſſio menſium.

Quando relaxatio uteri & ejus glandularum oritur ex frequentiori venereo amplexu, ab illo ſemper temperandum eſt, & interna ac externa ut ſuffitus ex thure, maſtiche, ſuccino, & alia de quibus priùs actum, ducentur in uſum, prout & quando oritur ex violentia utero illata v. g. abortu, partu difficili, &c. externis potiſſimùm adhærendum, niſi accedat vitium ſanguinis, quod tum appropriatis ex ante colligendis emendabitur.

Deo Omnipotenti, & Virgini Immaculatæ ſit laus, honor & gloria.

FINIS.

LIBRARY

INDEX CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM.

Procemium.

CAPUT PRIMUM.

De Cauſis Fluxûs Menſtrui mulierum & Circumſtantiis. Pag. 4

CAPUT II.

De Suppreſſione menſium. 58

CAPUT III.

De Simptomatis quibuſdam gravibus ſuppreſſione menſium ſubſequentibus, ac primò de motibus convulſionis & epilepticis. pag. 108

§. 1.

De dolore capitis ex utero. 115

§ 2

De Tuſſi ex utero. 119

§ 3

De Pleuritide ex utero. 121

§. 4.

De variis ventris affectibus cardialagiâ, vomitu & picâ. 127

§. 5.

De Arthritide ex utero. 134

CAPUT IV.

De Emmenagogis. 138

CAPUT V.

De Menſium paucitate. 159

CAPUT VI.

De immodico menſium fluxu. 162

CAPUT VII.

De inordinato menſium fluxu. 199

CAPUT VIII.

De Difficultate Menſium. 210

CAPUT IX.

De menſium per aliena loca excretione. 222

CAPUT X.
ET ULTIMUM.

De Fluore muliebri. 230

FINIS.